









I. N. D. N. J. C.

DE

CONTRACTI-

BUS, QUI IN SCRIPTIS

FIUNT,

Ad L. Contractus 17. C. de fide instrum.

DISSERTATIO ALTERA,

PRÆSIDE

DN. WILHELMO

LEISERO,

J. U. D. & Cod. P. P. Curia Electoralis,

Consistorii Ecclesiastici, Facultatis Juridicæ & Scabi-  
natus Adessore gravissimo, meritissimoq; &c.

DOMINO, PATRONO & PRÆCEPTORE suo o-  
*mni pietatis & observantia cultu eternum*

*prosequendo,*

ad disputandum proposita

D. X. Julii M DC XXCVI.

CHRISTIANO TRENTSCHIO,

Wittenb. Sax.


WITTENBERGÆ,

Imprimebat JOHANNES WILCKIUS.

120



VIRIS  
MAGNIFICIS EXCELLENTISSIMISQ;  
DN. CASPARO ZIEGLERO,  
Jcto meritis Illustri, Juris Canon. Prof. Publ. Inclytæq;  
Facult. Ordinario, Sereniss. ac Potentiss. ELECTOR. SAXON.  
CONSILIARIO Splendidissimo, Curia Electoral. Adessori & Con-  
sistorii Eceles. Directori Gravissimo &c.

DN. GODOFREDO  STANUS /  
Phil. & J. U. D., Pandect. Prof. Publ. Sereniss. & Poten-  
tiss. ELECTOR. SAXON. in Supremo Appellat. Judicio, nec non  
Sereniss. Principum Anhaltin. Servestanorum CONSILIARIO  
Aulico Splendidissimo, Curia Electoral., Scabin. ac Fa-  
cult. Jurid. Adessori Gravissimo &c.

Ut &  
NOBILISSIMO CONSULTISSIMOQ;  
DN. CHRISTIANO ZAHN,  
Jcto Clarissimo, à Sereniss. ac Potentiss. ELECTOR.  
SAXON. Electorali Circulo & Quæsturæ Wittenbergensi  
PRÆFACTO Spectatissimo &c.

DOMINIS, PATRONIS, SUSCEPTORI, PRÆCE-  
PTORIBUS ac PROMOTORIBUS Optimis, Maximis,

Specimine hęc Academico  
devotissimum cultum,  
eâ, quâ potest, ratione  
*defert*  
RESPONDENS.





I. N. J.

I.

**N**egem *Contractus. 17. C. de fide instrumen-*  
*torum.* famosam, singularem ac probè no-  
tandam à Dd. meis acceperam; eandemq;  
vicissim, Doctor ipse factus, pro tali disci-  
pulis tradideram. Tribunalibus verò &  
Collegiis Juridicis postquam viginti, &  
quod excurrebat annos, assederam, mirabar nunquam usu  
venisse, ut tam famosa Lex casui applicaretur: imò, quoti-  
es scheda conscripta unius partis vel ambarum literas ha-  
bens (*Punctuationem: item projectum, Ein project, Prag-*  
*matici nostri vocant*) oblata esset, egoq; casum Legis tunc  
venisse putassem, mihi ab omnibus contradictum, & ex  
schedâ illâ Reum absq; ullâ hæsitacione condemnatum  
fuisse.

II. Inter hæc accesserat me Vir-Juvenis Eximius &  
ab Amicis Jenensibus mihi commendatus *Dn. Johann-*  
*Caspar Brendelius*, Philosophiæ Magister, & Jurium  
tunc Studiosus, nunc à semestri, & quod excurret, Doctor  
Juventuti nostræ percharus, ac Theses, quibus defenden-  
dis eruditionem suam legalem publicè assereret, flagita-  
verat. Eâ occasione ego constitueram & in genuinum *d.l.*  
*Contractus. 17. C. de fid. instrument.* sensum inquirere, & si-  
mul causam, quæ fieret, quod tam famosa in Theoriâ Lex  
adeo nullum sui in Praxi usum præberet, indagare: quod  
A &



120



& feci Dissertatione de *Contractib. qvi in scriptis fiunt* conscriptâ, & publicè ad disputandum propositâ.

III. Et singula quidem verba *Legis Cap. secundo* Dissertationis exposui; in quibus præter phrasin à *partibus absoluta* (quâ quid velit Imperator non satis constat: commodissima tamen explicatio est, si Instrumenta Notariorum partibus prælecta & ab ipsis approbata, atque invicem exhibita esse debere, interpretemur, quò & Græci *Βασιλικῶν Lib. 22. tit. 1. cap. 76.* [ubi tamen in textu phrasin illa non habetur;] Scholiastæ abire videntur: non occurrebat difficultas, nisi in Phrasib9, *Contractus, quos in scriptis fieri placuit; & transactionum, quas in instrumento recipi convenit;* de quib. inferiùs dicetur.

IV. Porro de mente, cum primis vero juxta regulas hermenevticas, intentione Imperatoris sollicitus, aliam conjecturâ assequi non poteram, quam propositum fuisse Imperatori hominibus inter se contrahentibus spacium deliberandi dilatare, & pœnitendi licentiam concedere; eaqve ratione lites, quæ super conventionibus non satis deliberatè initis complures oriri solent, minuere: quæ in re egregiè primos Romanos prudentes imitatus est, qui eadem ratione usi, noluerè ex pactis promiscuè actionem dare, nisi vel nomen vel causam haberent, vel subjunctâ stipulatione solenni confirmata essent, ut deduximus cap. 1. Addatur *MATTH. WESEMBEC. ad tit. ff. de pact. n. 9.*

V. Nempe Vir Sacratissimus, restaurandæ Jurisprudentiæ Romanæ natus, animadvertibat, homines, qui ad firmandas conventiones hæctenus stipulationib9 usi fuerant, scripturâ ac syngraphis uti cœpisse: cujus rei causam ex *HOTOMANNO & SALMASIO* tradit *ARNOLD. VINNIUS* ad



ad tit. *Inst. de literar. obligatt.* ad verba: *quæ nomina hodie non sunt in usu.* Posset forte & illa causa fuisse, quod stipulationes, abrogatis magnam partem earum solennitatibus, parum amplius à nudis pactis abesse, adeoq; nec magnam vim ad seriam conventis standi voluntatem contestandam habere viderentur. Cum itaq; ad confirmandas conventiones testandamq; seriam conventis standi voluntatem homines, ut dixi, scripturam uti cœpissent, visum est L.atori prudentissimo scripturæ illi quasi formam aliquam dare, & ut pœnitendi spacium diuturnius esset, minusq; contrahentes, se non satis deliberatò quid promississe, qveri possent, constituere, ut scriptura non aliter vires haberet, nisi instrumenta in mundum recepta, subscriptionibusq; partium confirmata, & si per tabellionem conscriberentur, etiam ab ipso completa & à partibus absoluta essent.

VI. Postquam hæc ita constituta habebam, de intellectu Phrasium, *Contractus quos in scriptis fieri placuit; Transactionum, quas in instrumento recipi convenit;* dispicere aggrediebar. Et verba illa, *contractum in scriptis fieri*, duplicem, non amplius, sensum habere posse statuebam: nempe unum, quando partes non verbis & sermonibus, sed literis mutuo missis mentem suam invicem exponunt, sensum à priori proposito discedunt, & tandem in unam sententiam utrinque conveniunt: quod operosum valde est, & ego non nisi semel in vita contractum ita iniri vidi. Alterum vero quando partes id, de quo convenire, scripto comprehendunt. Hic duplex verborum illorum sensus esse potest; tertius enim quomodo dari possit, ego non video: namq; scripto conventionem, quæ nondum inita sit, comprehendere velle, absurdum omnino

A 2.

fue-



120



fuerit. Nunc verò verba *contractum in scriptis fieri* ab Imperatore priori sensu, quando scil. partes non sermone, sed scriptis literis conventionem inire voluere, posita esse nemini hactenus in mentem venit, nec impofterum sanã prædito veniet: relinquitur itaqve Imperatori partes contractum in scriptis fieri voluisse tunc visum esse, quando id, de quo convenere, scripto comprehendi volunt: id quod altera Phrasis, *in instrumento recipi*, satis confirmat. Quantum vero ad verba *placuit, convenit*, didiceram ego ex jure nostro, eandem, cum primis in materia pactorum & contractuum vim taciti, quam expressi esse, ff. de pact. L. Labeo ait. 2. L. item quia 4. ff. de reb. cred. L. Cum quid. 3. JO. OTTO TABOR in Barbos. Locuplet. Lib. 18. c. 2. axiom. 2.

VII. Hinc ergo talis mihi enascebatut Legis sensus, Imperatorem sancivisse, si inter partes convenisset, ut super contractu, donatione, transactione &c. scriptura conficeretur, contractum illum, donationem, transactionem &c. vires non habere, nisi instrumenta in mundum recepta, subscriptionibusq; partium confirmata; & si per Tabellionem conscribantur, etiam ab ipso completa & à partib. absoluta sint. Convenisse autem, scil. ut scriptura conficeretur, inter partes videri, nō tantū si id expresse dixerint, sed & si talis eorum voluntas ex circumstantiis colligi possit: v. c. si ante contractum, aut in actu ipso contrahendi petierint, ut calamus afferretur, aut ut accerferetur Notarius conficiendi instrumenti gratia. Imo addo nunc, cum monente Viro celebri praxi receptum sit, ut vix majoris momenti res vendatur, nisi confecto desuper instrumento; quoties majoris momenti res, v. c. domus lautior, prædium amplius venditur, inter partes convenisse videri, ut scriptura desuper conficiatur: quandoquidē ea, quæ sunt



104  
8  
13  
funt moris & consuetudinis, in bonæ fidei judiciis debent  
venire, dicente *Ulpiano ff. de adilit. Edict. L. quod si nolit. 31.*  
*§. quia assidua. 20.*

VIII. Atque hæc Legis interpretatio apprimè cum  
fine ab Imperatore intento, uti eum *Thef. IV. & seq.*  
subduxi, convenire mihi videbatur. Namque & spatium  
deliberandi ampliat, dum usque quo instrumentum in  
mundum receptum, subscriptionibusq; partium confir-  
matum; & si per Tabellionem conscribatur, etiam ab ipso  
completum & à partibus absolutum sit, pœnitentiam con-  
cedit; & lites minuit, dum, qui tam amplum deliberandi  
spatium habuit, & tandem mundum ipsum subscripsit, aut  
instrumentum desuper confectum & à Notario comple-  
tum alteri parti tradidit, aut sibi exhibitum recepit, se non  
satis deliberato contraxisse, non nisi inverecunde causari  
potest.

IX. Ex hinc ad Interpretes conversus in duas eos  
sectas abire à *Dd.* relatum legi: quarum altera **JOANNEM**  
sequatur; altera **PLACENTINUM & AZONEM**, vel, ut  
hodierni habent, **CASTRENSEM**. Et **JOANNIS** quidem  
sententiam **GLOSSA** ad *dictam L. 17.* sic refert, quasi sense-  
rit, partes contractum in scriptis fieri voluisse tunc videri,  
quando id egerint, ut non aliter valeat contractus, quam  
scripturâ factâ; sive, ut **VIR** celebris exponit, ut expressum  
adjiciatur pactum, non perfectum prius debere esse con-  
tractum, nisi postquam instrumentum plenè confectum  
fuerit. **PLACENTINI & AZONIS** vero, quando in contra-  
ctu vel ante convenère, ut scriptura fiat, gerentes in a-  
nimo, non prius contrahere, quam scribatur.

X. Tertiam recens sententiam **VIR**, dum viveret, &  
religione erga **DEUM**, & morum innocentia, & animi

A 3

can-



120



candore, & eruditione multifaria, & prudentia, quam natura ei subministraverat, & multus rerum usus perfecerat, ad exemplum conspicuus DN. JOHANNES BRUNNEMANNUS, Doctor olim meus proposuerat ad *L. illam*, in *suo Commentario in Cod. Justinian* quasi tunc demum partes in scriptis contrahere voluisse censi debeant, si id expressè dixerint; sive, ut VIR celebris exponit, si expresse-rint, se non aliter, quam in scriptis contrahere velle.

XI. Ubi hæc legeram, desinebam mirari, quæ fieret, quod tam famosa in Theoriâ Lex adeo nullum sui usum in Praxi præberet; quandoquidem statuebam, casum talem evenire vix posse. Nempe ex quotidiano usu didiceram, ipsaq; naturalis ratio dictabat, homines primum levem aliquam de conventionem cum altero ineundâ cogitationem suscipere, quam sensim foveant, deinde alter alteri exponat; mox varios tractatus, cum primis ubi majoris momenti res est, instituere, proxenetis etiam quandoque adhibitis, & de priori sententia paululum remittere, donec tandem in unam concurrant. Ubi vero ita conventum est, tunc demum sollicitos esse solere, quomodo conventum confirmet; quod olim stipulatione solenni, hodie fere scriptura desuper confectâ fieri solet. Prius autem de modo contrahendi, quam de re ipsa aliquos convenisse ego non videram.

XII. Vestram testor fidem, quotquot hodie vivitis Jcti, num unquam Vobis casus obvenit, ubi partes sibi, antequam contraherent, caverint, non perfectum prius esse debere contractum, nisi postquam instrumentum plene fuerit confectum; aut, se non aliter, quam in scriptis contrahere velle? Scio aut nullum, aut certè perrarum fatente id ipso laudato BRUNNEMANNO d. l. Et de hoc juraverim



104  
8.  
13  
verim ego, id illos, si Idiota fuerint, non spontaneo motu, sed ad suggestionem alicujus Jurisperiti, qui interpretationibus istis persuasus, ut beneficium Legis partibus conciliaret, sic sibi ut caverent monuerit, fecisse: antequam vero interpretationes istae invalescerent, tale quid in Orbe contigisse non credo. Sed ponamus tamen olim quoque aliquando istam formulam: *non perfectum prius esse debere contractum, nisi postquam instrumentum plene fuerit confectum; aut se non aliter quam in scriptis contrahere velle*, quem sibi cavisse; num putatis de re, cujus forte semel atque iterum post hominum memoriam casus obvenerat, Imperatorem Pragmaticam sanctionem ad Praefectum Praetorio scripsisse, eamque servandam toti Orbi Romano imposuisse?

XIII. Caeterum in interpretationibus istis omnibus animadvertere licet, addi per illas Legi, quod nec in ea habetur, nec, cur addatur, ratio reddi potest. Sic prima vult, ut *expressum adjiciatur pactum, non perfectum prius esse debere contractum, nisi postquam instrumentum plene confectum fuerit*; altera, ut *contrahentes in animo gerant, non prius contrahere, quam scribatur*; tertia denique, ut *exprimant, se non aliter quam in scriptis contrahere velle*. At ubi talia in Lege habentur? Et quae nos necessitas cogit, ut illa addamus? Cur non in simplici & genuino verborum sensu subsistimus? Quid quae absconditi illa habent, prout nos ea Th. VI. & seq. exposuimus? Profecto frequentissime nostris in ore est, quod Lex non cantat, nec nos cantare debere: Cur ergo in hac quoque Lege regula ista non observatur? Ratio dari nulla potest.

XIV. Sed videamus singulas. Et JOHANNIS quidem interpretatio, quae Legem de casu accipit, quo partes expres-

120

120



pressum iniere pactum, non perfectum prius esse debere contractum, nisi postquam instrumentum plenè fuerit confectum, præterquam quod Legi addit, quod in ea non habetur, nec cur addatur, ratio dari potest, ipsum etiam Imperatorem absurdum facit. Talis enim tunc Legis sanctio emergit: quoties partes contrahentes, donantes, transigentes, expressum iniere pactum, non perfectum prius esse debere contractum, donationem, transactionem, nisi instrumentum plenè fuerit confectum; tunc contractum, donationem & transactionem non prius vires habere, quam instrumenta in mundum recepta, subscriptionibusque partium confirmata; & si per tabellionem conscribantur, etiam ab ipso completa & à partibus absoluta sint: ita ut nulli liceat, priusquam hæc ita præcesserint, vel à schedâ conscriptâ (licet literas unius partis vel ambarum habeat) vel ab ipso mundo, quod nec dum est impletum vel absolutum, aliquod jus sibi ex eodem contractu vel transactione vindicare. At quid hoc quæso monstri est? Annon tantundem valet, ac si Imperator Pragmaticâ sanctione, pacta conventa servanda esse, edixisset? Sed hoc dudum Prætor Romanus edixerat ff. de pact. l. Jurisgentium. 7. §. ait Prætor. 7. ibi: *pacta conventa, quæ neque dolo malo, neque adversus leges, plebiscita, SCta, edicta Principum, neque quo fraus cui eorum fiat, facta erunt, servabo.* Et cur illud saltem pactum, quo partes convenerant, non perfectum prius esse debere contractum, nisi instrumentum plenè fuerit confectum, servandum edixit Imperator? An reliqua pacta haut servanda statuit? Cumque Imperator emtionalia instrumenta jam vel in scheda vel in mundo conscripta expressè excipiat, & illam suam sanctionem ad ea non extendi, sed prisca jura in iis teneri



104  
8.  
13  
teneri concedat; an putamus, in casu, quo partes expres-  
sum inierant pactum, emptionem-venditionem non per-  
fectam prius esse debere, nisi instrumentum *plenè* fuerit  
confectum, & producebatur scheda unius saltem, v. c.  
actoris, aut neutrius etiam literas habens, vel instrumen-  
tum à Tabellione nondum completum, illam emtionem-  
venditionem ante hanc Legem vires habuisse, & Reum ex  
tali scheda vel instrumento condemnatum fuisse? Equi-  
dem nemo hoc dixerit: manifestò enim absurda isthac  
omnia sunt. Itaque *JOANNIS* sententia nullo modo de-  
fendi potest.

XV. *PLACENTINI & AZONIS* sententiam ita re-  
fert *Glossa*, quasi non quidem pactum expressum; animum  
tamen in contrahentibus exegerint, non prius contra-  
hendi, quàm scribatur, h. e. nolle se prius obligatos esse ex  
contractu, quàm ille fuerit scriptus. Verba enim cum effe-  
ctu accipienda sunt. *ff. Ne quis eum qui in jus L. 1. §. Docere 2.*  
Ubi male habet, quod animum exigunt, se non prius obli-  
gandi quàm contractus fuerit scriptus. Præterquam enim  
quod illud in Lege non habetur, adeoque nec assuendum  
illi erat, ut supr. notavimus: non apparet, quò de animo  
illo constare possit. Propositum autem in mente reten-  
tum nihil operatur, ut rectè *VIR* celebris per *L. si repeten-  
di. 7. C. de condiçt. ob caus. dat.* Quod si tamen ex circum-  
stantiis, illum utriusque contrahentium animum fuisse  
appareat, (quanquam quomodo id fieri possit, non video)  
tunc ita convenisse partes censendum est: *Quorsum enim  
verba, nisi ut animum dicentis demonstrant. ff. de supelleçt.  
leg. L. Labeo ait. 7. §. fin.* itaque sufficit, si de hoc constet.  
Quod si autem ita convenerint partes, scil. se non prius  
obligandi, quàm contractus fuerit scriptus, tunc non à Le-

B

ge,



120



ge sed conventionem habent, ut poenitere possint: tunc parum aut nihil ea interpretatio à sententia JOANNIS differt: tunc eadem difficultates, quæ JOANNIS, etiam hanc premere videntur.

XVI. Tertiam B. Dn. BRUNNEMANNI interpretationem VIR celebris ita exponit, quasi contractum in scriptis fieri placuisse, tunc censendum sit, quando partes expresserint, se non aliter, quàm in scriptis contrahere velle. Quæ verba juxta dicta *Thef. VI. & preced.* alium sensum habere non possunt, quàm quod partes expresserint, se ex contractu aliter obligatos esse nolle quàm postquam fuerit scriptus. Atque sententia ita exposita primum illud cum reliquis commune habet, quod Legi addit, quod in ea non habetur, nec, ut addatur, ratio aliqua dari potest, ut supra notavimus. Deinde in eò à juris tramite sine causa discedit, quod expressa verba ad pactum illud requirit, cum ex analogia juris sufficiat, si de voluntate paciscentium aliunde, quàm ex verbis, & saltem ex circumstantiis constet, v. c. si paulo ante contractum, aut in actu ipso contrahendi partes petierint, ut calamus afferretur, aut accerseretur Notarius conficiendi instrumenti gratia. Eadem enim in Jure nostro, cum primis in materia pactorum, vis taciti, quæ expressi est, modo de voluntate constat ff. de pact. l. Labeo ait. 2. & l. Item quia. 4. It. de reb. cred. l. Cum quid. 3. Denique conventio, non perfectum prius esse debere contractum, nisi postquam instrumentum plenè fuerit confectum, quàm JOANNIS interpretatio requirit, à conventionem, se ex contractu aliter obligatos esse nolle, quàm postquam fuerit scriptus, parum aut nihil distat. Neque enim credendum est, eum, qui dicit, se nolle aliter obligatum esse, nisi contractus fuerit scriptus, id de



de scriptura à quocunque & quomodocunque confecta  
intelligere: sed illa procul dubio ejus sententia est, nolle  
se aliter obligatum esse, nisi scriptura desuper confecta ab  
ipso per subscriptionem fuerit approbata, aut si per Ta-  
bellionem conscribatur, ab illo completa.

XVII. Hac cum ita se haberent, egoq; ita se habere  
intelligerem, non dubitavi in Dissertatione illa *Cap. III. §.*  
*9. Scribere: me, misis factis interpretibus Latinis in uni-*  
*versum omnibus, Græcos hæc in parte sequi, qui neque illam*  
*partium intentionem, nolle se aliter contrahere, quàm si*  
*conficiatur instrumentum, neque expressam, velle se in scri-*  
*ptis contrahere, assertionem, sed solum animum, ut contra-*  
*ctus scribatur, exigant. Quò posito ex Legis hujus benefi-*  
*cio, non ex intentione suâ, habeant partes, ut, donec scriptura*  
*fuerit absoluta, pœnitere possint, sive animum haud se prius,*  
*quàm confecta fuerit, obligandi habuerint, sive non.*

XIIX. Ubi nemo ad invidiam interpretetur, quod  
scripsi, *me misis factis Interpretibus Latinis in universum*  
*omnibus Græcos hac in re sequi: cum de illis Interpretibus*  
*Latinis, qui unam ex dictis interpretationibus sequuntur,*  
*me illa intellexisse, ex contextu appareat. De cætero o-*  
*mnes me interpretes Latinos legisse, aut vidisse saltem,*  
*jactare non ausim; nec forte quisquam alius: quanquam*  
*VIR celebris Interpretem Latinum, qui præter tres enu-*  
*meratas aliam interpretationem proposuerit, adducere*  
*non potuit.*

XIX. Quod verò de Græcis Interpretibus, quod ne-  
que partium intentionem, nolle se aliter contrahere,  
quàm si conficiatur instrumentum, neque expressam, velle  
se in scriptis contrahere, assertionem, sed solum animum,  
ut contractus scribatur, exigant, scripsi; id ita se habere  
B 2 ani-



120





animadvertet, qui scholia illorum ad *lib. 22. Basilic. Tit. 1. const. 76. fac. mihi ex Editione Fabroti 77. seq.* evoluerit: in qua altera facie illa cum primis verba notanda sunt: *Nota transactionem etiam sine scriptis habitam valere. Et similis est Constitutio 28. ejusdem Tituli. Sed haec sic accipienda sunt, si ab initio placuerit, conveneritque,* (Græcum vocab. *συμφωνη*) conventionem, quæ emissa voce fit, propriè denotat: *ut nullum transactionis instrumentum conscriberetur. Nam si transigentes hoc animò fuerint, ut transactio instrumento reciperetur &c. non valet,* scil. antequam in mundum recepta, subscriptionibusque partium confirmata; & si per Tabellionem conscribatur, etiam ab ipso completa & à partibus absoluta sit. Ex quibus verbis non absurde colligas, Græcos in dubio, & quando partes non expressè cavere, ut nullum transactionis instrumentum conficeretur, præsumere, voluisse eas, ut transactio instrumento reciperetur: quod ipsum nos quoque in casu, quo de re majoris momenti agitur, *Thef. VII.* asseruimus: ut dubium nullum sit, eos solum animum, ut contractus scribatur, exegisse.

XX. Addidi tandem Cap. IV. persuasum me habere, formam *Legis hujus 17. C. de fid. instrum.* hodie parum observari. Cum enim Dd. omnes eam sic interpretentur, quasi loquatur de casu, quò partes sive expressè s. tacitè id egere, ut non aliter valeat contractus, quam scriptura perfectà, vel saltem dixere, se in scriptis contrahere velle; sequi, eam à nemine in genuino sensu, qui sit, quod agat de casu, quo partes, dum contraxerunt, eò animò fuere, ut contractus scribatur, acceptam, adeoque nec observatam fuisse. In quâ persuasionè etiamnum persisto, sentioque; nos dum in scholâ rivulos & interpretationes sectamur, fontem & Legem ipsam in foro perdidisse. XXI.



102  
8  
13  
XXI. Cæterum quintus nunc annus agitur, ex quo  
ista scripsi. Monuit autem non ita pridem, cum mecum  
in Facultate affideret *Vir Nobilissimus ac Consultissimus*  
DN. D. GEORG. MICHAEL HEBERUS, olim auditor  
meus solers & industrius, nunc Collega honoratissimus,  
displacuisse illa *Magnifico* DN. D. SAMUELI STRYKIO,  
Sereniss. & Potentiss. Elect. Brandenb. Consiliario, & Fa-  
cult. Jurid. in Academ. Viadr. Ordinario, Amico nostro,  
adeoque communis interpretationis contra me defen-  
sionem in Prælect. suis Viadrinis de Cautelis contractuum  
necessariis *sect. II. Cap. IIX. §. 1. seqq.* eum suscepisse: quod,  
ubi locum evolvi, ita se habere; simul tamen etiam, me sa-  
tis honorificè à *Viro Nobilissimo* exceptum inveni: quo  
nomine meritò ipsi gratiæ agenda sunt.

XXII. Sed & pietas VIRI laudanda est, qui B. DN. BRUN-  
NEMANNI gener ad officium suum fortè pertinere ratus  
est, ut Interpretationem ab illo propositam defenderet:  
quanquam & ego conscientiam testari possum, me nihil  
scripsisse, ut *B. Brunnemanni* manibus insultarem: cujus  
potius honorificam hinc inde mentionem feceram, &  
Doctorem meum appellaveram; de cætero persuasus, si  
supereffet hodie, eum, quâ erat animi probitate, pietatisq;  
amore, quod ego, etiam veritatis Zelo commotus, ab in-  
terpretatione ejus discesserim, ægrè laturum haud esse.

XXIII. Verum enim vero, cum nec fulcra, quæ Con-  
sultissimus VIR statum inandæ interpretationi communi  
affert, satis firma; nec argumenta, quibus meam imperit,  
eam stringere videantur, nō potui deesse causæ meæ, quin  
utrumque illud his thesibus ostendere satagerem. Quod  
tamen faciam salva amicitia nostra, & ut honor VIRI ubi-  
que illæ sus conservetur. Aliter enim facere nec nos decet,

B 3

nec



120



nec Excellentissimi VIRI de Jurisprudencia nostra merita  
permittunt.

XXIV. Statum autem controversiæ sic format Dn. An-  
tagonista, quod, ex sua sententia, ut partes in scriptis con-  
trahere voluisse dicendæ sint, *non sufficiat, quod conven-*  
*tum sit de instrumento conficiendo, sed requiratur, ut hoc*  
*expressum adjiciatur pactum, non perfectum prius esse debe-*  
*re contractum, nisi postquam instrumentum plenè fuerit*  
*confectum: idem tamen esse, si modò expresserint contraben-*  
*tes, se non aliter, quàm in scriptis contrahere velle. Ego verò*  
*contra ea nec pactum illud exigam, ne aliter subsistat con-*  
*tractus, quàm accedente scriptura; nec hoc, ut convenerint*  
*expresse se in scriptis velle contrahere: sed solum animum,*  
*ut contractus scribatur, sufficere asseram. In quâ Statûs*  
*controversiæ formatione facile ipsi assentior. Ita enim me*  
*sentire satis, nî fallor, ex supra dictis; simul tamen quoque,*  
*cur ita sentiam, patet.*

XXV. Videamus, quid tutandæ suæ & communi in-  
terpretationi, quæ, ut partes in scriptis contrahere voluis-  
se dicendæ sint, expressum requirit pactum, non perfectum  
prius esse debere contractum, nisi postquam instrumen-  
tum plenè fuerit confectum; aut saltem, se non aliter,  
quàm in scriptis contrahere velle, afferat VIR Nobilissi-  
mus. Nempe urget verba *Contractus venditionum vel per-*  
*mutationum &c. quos in scriptis fieri placuit: transactio-*  
*num, quas instrumento recipi convenit: putatq; vocabula*  
*placuit, convenit, arguere expressum debere esse pactum.*  
Sed illud fulcrum ego jam submoveram Dissert. meæ cap.  
3. §. 6. quod repetii supr. Thes. XVI. atque ex analogia juris  
ostendi, necesse non esse, ut pacta expressis, verbis inean-  
tur, cum sufficiat, si de voluntate paciscentium aliunde, &  
sal-



102  
8  
13  
saltem ex circumstantiis constet. Ac profecto *placendi* vocabulum nihil externi, sed solum interiorem animi approbationem denotat: *conveniendi* autem vocabulo tacitas quoque pactiones comprehendi, nimis manifesti textus sunt *ff. de pact. l. Labeo ait. 2. pr. ibi: etiam tacite consensu convenire intelligitur. & l. Item quia. 4. pr. ibi: conventiones etiam tacite valent.*

XXVI. Quin imò, ut Legis nostræ sanctio obtineat, nec tacitum, nec expressum tale pactum requiri arguunt ea, quæ sup. Th. XIV. XV. & XVI. disputavimus: quandoquidem sive tacite sive expresse tale pactum inierint contrahentes, tunc nihil est, quod ex Legis hujus beneficio habeant; tunc ut non prius, quam mundum subscripserint, aut instrumentum à Notario completum sit, obligati intelligantur, ac interea poenitere possint, non Legis dispositioni, sed suæ provisioni & pactioni accepto ferre debent; Tunc frustraneus fuerit LLator, si novi quid sanctione illâ suâ Pragmaticâ inducere sategit; imò absurdus, qui pacta servanda esse, quod ratio naturalis inter omnes homines constituerat, Jurisprudencia Romana dudum receperat, (vid. *ff. de pact. l. 1. pr. it. ff. de pecun. constit. l. 1. pr.*) Prætorque Romanus edixerat, in illa solum specie pactorum, quæ de contractu scribendo inita essent, Pragmatica sanctione Orbem Romanum jusserit.

XXVII. Reponitur ad hoc, *nec opus esse, ut quid novi per Legem nostram constitutum dicatur; cum multa in Cod. sint repetita, quæ in Digestis fuerant constituta.* Mirum autem, quod B. Dn. Brunnemannus litem de sententia Legis hujus dignam judicavit, quam Principes nostri localibus Constitutionibus definiant, si nihil novi in eâ sancitum, sed, quod jam in Digestis constitutum hic saltem repetitum

120

120



tum sit. Deinde in LLbus Cod. quæ sententiæ & Rescri-  
pta Imperatorum, aut ex illis excerpta & rhapsodiæ sunt,  
occurrere, quæ jus in Digestis constitutum repetant, con-  
cedo: Pragmaticam ullam sanctionem, ut nostra est, quæ  
nihil novi constituat, sed jus indubium repetat, dari nego.  
Instatur denuò: *novum esse, quod talis conventio expressâ  
Lege confirmetur.* Enimverò valde novum est, quod Impe-  
rator jus pervulgatum, & à nemine in dubium vocatum,  
nempe pacta conventa servanda esse, in illa sola pactorum  
specie, quæ de contractu scribendo inirentur, Pragmaticâ  
sanctione confirmârit. Sed puto ego, absurdi nihil Sacra-  
tissimo Imperatori imputandum esse, cum primis, quando  
commodior explicatio, & ratio, quæ eum movit, dari pot-  
est. *Vid. dicta supr. Tb. IV. V. & IIX.* At, novum tamè est, quod  
*scheda ab utraque parte scripta non sufficiat, nisi accedat sub-  
scriptio; quales schedas etiam olim obligasse probet Confir-  
matio Imperatoris in præteritum facta vers. exceptis em-  
tionalibus.* Quid scheda ab utraque parte scripta sit, nisi  
quam utraque pars manu suâ subscripserit, ego non intel-  
ligo; neque enim unam eandemque literam duorum ma-  
nu pingi vidi: & nomine schedæ conscriptæ, quæ literas  
unius partis vel ambarum habeat, Imperator sine dubio  
primam negotii per summa capita delineationem (pun-  
ctationem it. projectum Pragmatici nostri vocant: ) aut  
certè formam immundam (*das Concept/den Quiffas;*)  
quas una vel utraque pars subscripserint, intelligit. Cæte-  
rum talem delineationem formamve immundam non  
obligare partes, juxta nostram quidem interpretationem,  
quæ supposito, quod de contrahentium animo, ut contra-  
ctus scribatur, constet, ad Legis sanctionem refert, quod  
talis delineatio, formave immunda, licet ab una vel utraq;  
parte



parte subscripta fit, non obliget, omnino novum quid est.  
Ex JOANNIS verò sententia (contra quam ista potissimum disputaveram) quæ expressum requirit pactum, non perfectum prius esse debere contractum, nisi postquam instrumentum plenè fuerit confectum, novum id esse nego: neque credo talia emtionalia instrumenta sive schedas, h. e. delineationes formasve immundas, licet ab una vel utraqve parte subscriptæ fuerint, in casu, quo partes expressè convenerant, non perfectum prius esse debere contractum, nisi postquam instrumentum plenè fuerit confectum, olim obligasse. Tandem verò novum omnino est, quod *Notarii subscriptio non sufficiat, sed & partes subscribendo instrumentum absolvere debeant, cum tamen id aliàs necessarium non sit.* Sed contrahentes instrumento Notarii subscribere debere, neque ex hoc, neque ullo aliò Juris textu probari posse, nos in priori Dissert. cap. II. ad verba textus: *postremo à partibus absoluta sint:* notavimus. Et quid Imperator nomine absolutionis partibus vel à partibus faciendæ intelligat, valde in obscuro est. Unde Græci, ubi in Basilicis hanc Legem referunt *Lib. XXII. Tit. 1. Concl. 76.* de eâ nihil habent, & Imperatoris sententiam ita exponunt, ac si solam Notarii completionem requisierit verbis: *Et si per Tabellionem conscribantur, etiam completiones Tabellionis acceperint.* Et quanquam in Scholiis absolutionis mentionem faciant, nihil tamen firmiter inde collegeris, quàm instrumentum, ut absolutum esse dicatur, partibus exhibitum esse debere. At id novum non est; nec quisquam olim ex instrumento nondum exhibitò actionem instituere potuit. Itaque nihil est, quod DN. STRYKII & communem interpretationem sustentet.

XXIX Videamus de iis, quæ ad nostram interpretationem, quæ est, quod, ut dispositio Legis nostræ obtineat, ac

C

con-



120



contrabentes spatium pœnitendi habent, sufficiat, si de animo eorum, & quod contractum in scripturam redigi velint, constet, infringendam adducuntur. Hic ergo nobis objicitur vulgo notum, propositum in mente retentum nihil operari L. 7. C. de condict. ob caus. dat. Ego verò expresse dixeram, de voluntate contrahentium aliunde, quam per loquelam constare debere, exemplumq; ex Anton. Fabro & Arnold. Vinn. dederam, si paulo ante contractum, aut in actu ipso contrahendi partes petierint, ut calamus afferretur, aut accerferetur Notarius conficiendi instrumenti gratia.

XXIX. Revertitur ad hoc; Certum esse, quod consensu de re & pretio substantia contractus perficiatur: unde sequatur, pactum hoc, ne solo consensu perficiatur venditio, esse detrahens, quia aliquid substantiæ demit, dum contractum, qui revera perfectus, facit non perfectum. Si hoc; non presumendum hunc esse contrahentium animum, quod vim obligandi, quæ naturaliter inest contractui, eidem detrabere voluerint, nisi hoc expresserint. Sed hic aperte statim controversiæ mutatur. Illud enim inter nos quærebatur, quando partes contractum in scriptis fieri voluisse dicendæ sint, quod ego ex illis circumstantiis, si paulo ante contractum, aut in actu ipso contrahendi partes petierint, ut calamus afferretur, aut ut accerferetur Notarius conficiendi instrumenti gratia, colligi posse statueram: talem verò contrahentium animum, ne solo consensu perficiatur venditio, ex illis circumstantiis colligi posse, ut statuerim ego, tantum abest, ut potius illam sententiam, quæ in casu Legis nostræ contrahentibus animum affingit, non prius contrahendi, quam contractus scribatur, expresse refutaverim *Dissert. prior. cap. III. §. 7. id quod repetii supr. Tb. XV.* Itaq; axio-

ma



ma illud , *Propositum in mente retentum nihil operatur* :  
me non ferit.

XXX. Superest, ut Græcorum in Basilicis *Lib. 22. Tit. 1. concl. 76.* consensum, quem pro mea interpretatione allegaveram, eripere verò conaturò ἐξ ἐναντίας, vindicem. Dicit namque *meam sententiam nil quicquam presidii ex Basilicis capere: in textu enim ipso de animo, ut contractus scribatur, nihil occurrere.* Verum ego Græcorum consensum ex eò deduxerā, quod neq; illam partium conventionem, nolle se aliter contrahere, quam si conficiatur instrumentum, neque expressam, velle se in scriptis contrahere, assertionem exigant: animum autem ut contractus scribatur ex Basilicis deducere opus non erat, cum eum ipsa Legis nostræ verba, *placuit, convenit*, quæ tantopere contra nos urget, satis arguant; utpote, quæ animum & voluntatem utiq; ponunt. Instat: *ex Interpretibus Græcis Thaleleum ad d. Const. 76. Vol. 3. Basilic. p. 77. expressè monere, tunc obtinere Constitutionem, si placuerit in scriptis contractum fieri.* Sed quid inde contra me? Nam & Imperator ipse sanctionem suam ad contractus, quos in scriptis fieri placuerit, restrinxit: ex eo vero non sequitur, Ergo expressum requiritur pactum, non perfectum prius esse debere contractum, nisi postquam instrumentum plenè fuerit confectum, aut saltem, se non aliter, quam in scriptis contrahere velle. Quin imò, ne quidem ad id, ut contractum in scriptis fieri partibus placuisse videatur, expressa pactio requiritur, sed sufficit, si id aliunde & ex circumstantiis colligi possit, ut Th. XXV. evici. Tandem ad illa verba, quæ ego ex Interpretibus Basilicorum supr. Th. XIX. citavi, dicit, *occurrere quidem pag. 78. in med. hac verba: si transigentes hoc animo fuerint, ut transactio instrumento recipere-*

C 2

retur:



120



retur: sed mox subjici; *Et invicem convenerint, qualiter  
transactio concipi deberet.* Quid si ego responderem, con-  
veniendi etiam vocabulum ad tacitas conventiones per-  
tinere? quod satis, adductis etiam Juris nostri textibus,  
probavi d. Th. XXV. Sed nolo sic respondere; imò nec  
possum. Poteram enim ex τῶ κατὰ πόδας accuratius con-  
stringi, quod habet: *προειλέχθησαν δὲ ἀλλήλοις καὶ συνεΦω-  
νήθη, h. e. prædixerint invicem & voce conventum sit:* ut adeò de  
tacita pactioe verba illa exponi non possint. Ergone ta-  
cita pactio hîc non sufficit? Ita verò. Ergone fateri necesse  
habeo, Græcos Interpretes quoque expressam pactio-  
nem hîc requirere? Etiam. Ergone tandem, quin ego hîc  
tenear, parum abest? Imò multum. Verba sunt: *Et invicem  
convenerit, qualiter transactio concipi deberet:* in Græco  
habetur, *προειλέχθησαν δὲ ἀλλήλοις, καὶ συνεΦωνήθη ὅπως  
ὀφείλει γενέσθαι τὸ ἐν γράφῳ, h. e. prædixerint autem sibi in-  
vicem, & voce conventum sit, quomodo debeat fieri scriptum,*  
nempe transactio: Hic ego nunquam adeò mei oblitus  
fui, ut qualiter transactio fieri debeat h. e. quibus capiti-  
bus illa constare, quid alter dare aut promittere, quid item  
retinere aut remittere debeat, & quæ alia transactionis  
capita esse possunt, absque expressione ex circumstantiis  
colligi posse statuerim. Neque de eo, num, quæ capita  
transactionis sint, ex circumstantiis colligi possit, quin po-  
tius de iis per expressam pactioem constare debeat, nun-  
quam ego cuiquam mortalium litem movi: sed illud  
saltem hîc inter nos controversum fuit, annon contra-  
ctum in scriptis fieri, transactionem in instrumento reci-  
pi tacitè conveniri possit; quod ego asserui, & nunc vin-  
dicavi.



XXXI. Quæ ergò Imperatoris in *L. Contractus. 17. C. de  
fid. instr.* mens fuerit, & nùm ad hoc, ut juxta sanctionem Le-  
gis illius *quis ex scheda (den Bluffsatz/der Punctation:) con-  
scripta, sive cautio, sive syngrapha fuerit, & licet literas unius  
vel ambarum partium habeat (h. e. scheda cautionis ab una,  
syngrapha ab utraqve parte fuerit subscripta: ) item ex in-  
strumento Notarii non teneatur, nisi scheda in mundum rece-  
pta, subscriptionibusq; partium confirmata, Instrumentum ve-  
ro Notarii ab ipso completum & à partibus absolutum sit; jux-  
ta sententiam DN. STRYKII requisiverit, ut partes expres-  
suminierint pactum, non perfectum prius esse debere contra-  
ctum, nisi postquam instrumentum plenè fuerit confectum;  
aut certe, se non aliter quàm in scriptis contrahere velle: an  
vero juxta nostram ipsi suffecerit, si partes voluerint, ut ne-  
gotium scribatur, atqve hac ipsarum voluntas etiam ex cir-  
cumstantiis colligi possit, imò in re majoris momenti ex eò, quod  
hodie nulla majoris momenti res peragatur, nisi confecto desu-  
per instrumento, prasumenda sit, judicet posteritas, si qua fu-  
tura est. Si enim nulla est futura, sine dubio hæ quoque cum  
reliquis mundi vanitatibus evanescent: manebit autem*

S. D. G.

*Ad Lectorem.*

**B**enevole Lector, ut totam rem cognoscas, placuit hic  
subjungere, quæ ex priori Dissertatione ad hanc quæ-  
stionem pertinent: ut &, quæ illis DN. STRYKIUS  
opposuit: ex quibus, quæ Dissertationis nostræ sunt, si-  
mul velitationi exponimus, Dnn. Oppositoris liberum faci-  
entes, prioris an posterioris Dissertationis Theses impugna-  
re velint.

I.N.J.



120



I. N. J.  
*Dissertatio Prior*  
De Contractibus, qui in scriptis fiunt,  
Ad  
L. Contractus. 17. C. de fide Instrumentorum.  
CAP. I.  
PRÆMISSA.  
§. I.

*Habita Wittebergæ d. 17. Octobr. 1682. Resp. M. Job. Casp. Brendel.*



Habere animum humanum non tantum naturalem potentiam mutandi consilium, sed & Jus, magni Grotii effatum est *de Jur. Bell. ac Pac. Lib. II. cap. XI. num. 2.* à pluribus hæcenus laudatum, à nemine, quod sciam, in dubium vocatum.

§. 2. Quod si tamen rem ad principia revocare instituerimus, contrarium facile, ni fallor, patefcet. Quid enim? Annon ad imaginem suam hominem condidit Deus T. O. M. quem nunquam propositum mutare, nunquam consilii sui poenitere satis constat. Hujus itaque imaginem cum exprimere nobis incumbat, id opera danda omnino est, ut constantes simus in proposito, & consilium, quoad fieri potest, nunquam mutemus.

§. 3. Invertamus itaque stylum & regulam sic scribamus: Habet animus humanus naturalem quidem potentiam mutandi propositum, sed non Jus, nisi unico forte, qui infra explicabitur, casu,

§. 4. Propositum dum dicimus, non illud saltem intelligimus, quod externis signis v. c. verbis, declaratum & ab altero acceptatum atque adeo vinculo quasi quodam constrictum tenetur; sed & quod intra animum constitit & merum internum. Omnis inconstantia, etiam si saltem intra animum consistat, à perfectionis divinæ regulâ aberrat, adeoque quoad fieri potest, vitanda nobis est. Itaque in foro naturali hæc coram tribunali Dei reus solvendi pronunciabitur Titius, qui saltem intra animum suum mille Moevio donare secum constituit.

§. 5. Sed quid? si illud consilium mille Moevio donandi Titius se non satis deliberata & præcipitanter cepit; annon tunc mutare

con.



102 (B)  
8  
13  
consilium & mille illa retinere in foro naturali licebit Titio? Non  
puto: sed præstet, quod secum constituit, si constans audire velit. Si-  
bi autem imputet, quod præcipitancia & ἐλαφρία in consilio capi-  
endo usus est; unde damnum, quod suâ culpâ sentit, sentire non in-  
telligetur.

§. 6. Sed ponamus, Titio, qui hodiè mille Mœvio donare sibi  
proposuit, cras, antequam effectum reddat, nuncium afferri, omnia  
sua subito incendio conflagrâsse, ut vix tota ejus substantia, quæ su-  
perest, mille istis solvendis sufficiat. Hic Titio haud prohibendum  
videtur, consilium mutare. Ita enim liberalitatem exercere jebemur,  
ut non alijs ἀνεως, nobis autem ἑλαφίως inde oriatur. *Cor. VIII. 13.*  
Porro, cum futurorum contingentium præscientia negata sit mor-  
talibus, ad culpam imputari non potest Titio, quod incendium,  
non præviderit, adeoq; propositum etiam, illo comperto, mutave-  
rit. Atque hoc est, quod nostri non solum in nudo proposito, sed &  
enunciato & ab altero acceptato admittunt, dicentes, pacta omnia  
rebus sic stantibus intelligenda esse. Vid. *Tab. in. Barbof. locupl. lib. 14.*  
c. 1. n. 8.

§. 7. Colligitur ex dictis, in foro naturali non licere mutare  
propositum, licet internum adhuc sit, & intra animum consistat; ni-  
si rerum status fuerit mutatus, idq; futurum prævideri haud potue-  
rit. Unde prono alveo fluit, multo minus propositum mutare lice-  
re, si illud externis quis signis, v. g. verbis, nutu, scripturâ &c. declara-  
verit; & adhuc minus, si alter consenserit, & propositum illud quasi  
acceptaverit.

§. 8. Hæc ita in foro naturali. Longè verò alia fori externi &  
civilis ratio est. Namque propositum internum Legislatori humano  
ne subjacet quidem: cum illa, quæ intra animum consistunt, omnem  
judicis animadversionem effugiant.

§. 9. Porro propositum externis signis, qualia nutus, verba,  
scriptura sunt, declaratum quod attinet, nulla Respublica cives suos  
adeo constrinxisse legitur, ut quicquid ore pronunciarent, opere  
adimplere cogerentur.

§. 10. Ut ad Romanam nostram singulariter accedamus, certum  
est, ex promisso non acceptato neminem compelli, ut præstet, quod  
se præstiturum enunciaverit, præterquam ex pollicitatione (cujus  
nomi-





nomine votum Deo & sponsio Reipublicæ facta intelliguntur) *L. pactum. 3. ff. de pollicit. Dd. ad illum text.*

§. II. Quin nec semper, etiamsi convenerit utriusque voluntas, atque sic propositum unius alter quasi acceptaverit, (quod quando fit, pactum à pango s antiquo pago, quod figere & firmiter immittere significat, appellant nostri) compellitur is, qui propositum habuit, illud adimplere. Certum enim est ex pacto solo h. e. promissione acceptata in foro Romano actionem haud nasci *L. Juris Gentium 7. §. sed cum nulla 4. vers. igitur nuda ff. de pact.* præterquam si fuerit ex genere illorum, quos contractus nominatos appellabant *d. l. 7. §. 1. h. e.* quos, cum peculiare nomen haberent, forum Romanum pro efficacibus ad pariendam actionem receperat, ut sunt emptio venditio, locatio conductio, societas, commodatum, depositum &c. (solum enim nomen vimillam non habebat, quod argumento permutationis, quæ nomen habet, neque tñ nisi ex una parte implementum fuerit secutum, ad agendum proficit, patet *L. 1. §. item emptio 2. ff. de rerum perm. L. naturalis 5. §. 1. de præscript. verbis. Habn. ad Wesenb. tit. de pact. n. 2. ad verba: pactum differt à contractu, versic. Ratio itaq;*) aut ex genere illorum, quibus causa subesset *d. l. 7. §. sed & si in alium 2. h. e.* quorum ex una parte implementum esset secutum (v. g. si convenirim de danda tibi re, ut aliam dares, aut aliquid faceres, egoq; dedderim:) quos ad differentiam priorum innominatos vocabant: aut contractui ad producendam actionem efficaci in continenti fuerit adjectum *d. l. 7. §. quin imò 5. v. g. emptioni venditioni pactum de retrovendendo L. si fundum 2. C. de pact. inter emptor. & vendit. [idem est si traditioni fuerit adjectum L. in Traditionibus. 48. ff. de Pact.]* aut denique specialiter Jure Romano confirmatum *L. legitima 6. ff. de pact.* quale est pactum donationis à Justiniano *L. si quis argentum 35. §. ult. C. de donat. & hypothecæ à Præatore Romano L. 1. ff. de pign. act. L. si tibi decem 17. §. de pignore 2. ff. de pact. confirmatum. vid. Dn. Struv. §. 7 C. Exerc. 6. ib. 20.* Præter quatuor itaque hæc pactorum schemata ex reliquis promissionibus licet acceptatis nemo, ut, quod promiserat, adimpleret, cogebatur. Unde moris erat apud Romanos, pacta illa in solennem verborum obligationem, quæ stipulatio dicebatur, deducere: quo facto actio dabatur, & quicquid promiserat ut effectum edderet, cogebatur *L. divisionis 45. ff. de pact. L. ex placito 3. C. de rerum permutat.*



102  
18  
13  
§. 12. Nempe Romani, veteres cum primis, id operam dabant sedulo, ut pauca essent hominum in Republica sua litigia; unde in paucissimis casibus ex promisso actionem dabant, h. e. cives suos, ut, quod promiserant, adimplerent, cogebant: probe animadvertentes, homines, ut nunc post lapsum sunt, leves & inconstantes, si consilium mutare prohibeantur, nisiuros in contrarium, variosque palliandæ levitati suæ prætextus quæsituros; quæ res non posset non multis litigiis ansam præbere.

§. 13. Ac prudens quidem illud minuendarum litium institutum fuisse, præsens rerum status docet, quo tot myriades hominum aliorum litigiis partim tractandis, partim explicandis & componendis totam vitam impendunt; qui, absque hoc si foret, utiliore longè Reipublicæ operam vel agrum colendo (quod primarium mortalibus negotium datum est *Gen. III. v. 23.*) navare possent.

§. 14. Neque tamen dica propterea Jurisprudentiæ antiquæ Romanæ scribenda est, quasi à jure naturali, quod omnem propositi, multo verò magis promissi mutationem averfatur, nimis recesserit, & inconstantiam fibulam laxaverit; cum non probavit talem levitatem, sed publici incommodi cavendi gratia eam toleravit, suo interim cujusque pudori relinquens, num constans audire & promissa servare malit; ad Juris Israelitici instar, quo Moyses divortia permisit, non probavit.

§. 15. Eandem rationem Justinianus noster sequutus videtur in *L. contractus venditionum*, quæ in recentioribus Editionibus 17. est, in antiquioribus verò, in quibus præcedens Græca deest 16. *C. de fide inst. umentorum*, quâ constituit, ut conventiones (licet de cætero ad producendam actionem in foro civili efficaces juxta dicta supra th. II.) quæ in scriptis fieri placuisset, priusquam in mundum redactæ, atque instrumenta, quæ super illis conficiuntur, subscripta aut completa ac partibus absoluta sint, ratæ non habeantur, atque adeò, donec illud fiat, alterutri parti poenitere & consilium mutare liceat.

§. 16. Scilicet animadvertit Justinianus inter prætextus, quibus inconstantiam promissionum & conventionum suarum palliare homines solent, frequentissimum esse, quo se non satis deliberasse de re, atque inconsideratè convenisse causantur; quanquam nec ille prætextus sat justam causam muntandi propositum, si accurate

D

curato

120



curato jure viveretur, præbeat, ceu ex iis, quæ th. 5. differuimus, patet. Huic itaque querelæ viam quasi ex superabundanti occlusurus, spatium deliberandi dilatauit, & omne illud tempus, quod completionem absolutionemve mundi præcederet, ad deliberationem pertinere voluit, determinationem voluntatis, si quæ interim facta esset, pro non facta habendo. Verba sic habent:

CAPUT II.

ENARRATIO TEXTUS.

NOTA. Sequuti sumus Editionem, quæ sumptibus Societatis anno hujus seculi LXXIII. in folio prodiit. Varias autem aliorum lectiones ad marginem adjecimus.

IMP. JUSTINIANUS A. MENNÆ P.P.

**C**ontractus Venditionum vel Permutationum vel Donationum quas (a) intimari (b) [non] est necessarium. (c) Dationis etiam arrarum, vel alterius cujuscunque cause, (d) quas tamen in scriptis fieri placuit: (e) Transactionum etiam, quas (f) [in] instrumento recipi convenit, non aliter vires habere sancimus, nisi instrumenta in mundum recepta, subscriptionibusq; partium confirmata; Et si per tabellionem conscribantur, etiam ab ipso completa, Et postremo (g) [a] partibus absoluta sint: ita ut nulli liceat priusquam hæc ita (h) præcesserint, vel à scheda conscripta (licet literas unius partis vel ambarum habeat) vel ab ipso mundo, quod necdum est impletum vel absolutum, aliquod jus sibi ex eodem contractu vel transactione vindicare: adeò (a) ut nec illud in hujusmodi venditionibus liceat dicere, quod pretio statuto necessitas venditori imponatur, vel contractum venditionis perficere, vel id quod emtoris interest, (b) ei persolvere. Quæ tam in postea conscribendis instrumentis, quam in his, quæ jam scripta, nondum autem absoluta sunt, locum habere precipimus: nisi jam super his transactum sit vel judicatum, quæ retractari non possunt, exceptis emtionalibus tantum instrumentis jam vel in scheda vel in mundo conscriptis, ad quæ præsentem sanctionem non extendimus, sed prisca jura in his (c) tenere concedimus. Et c. Dat. Kalend. Junii Dno. nostro JUSTINIANO A. II. Conf. 528.

(a) al. intimare.

(b) deest in quibusdam malè.

(c) al. dationes.

(d) al. illos tamen quos melius.

(e) al. transactiones.

(f) deest in multis.

(g) deest.

(h) al. processerint.

(a) al. quod  
(b) al. eis.  
In quibusdam deest.

(c) al. teneri.

CON-



102 (H)  
18  
13  
CONTRACTUS.) De varia vocabuli contractus significatione. multa Dd. ad tit ff. de pact. & ad L. Labeo 19. ff. de V.S. Non malè Accursius hic vocabulum contractus h. l. generaliter pro conventionem accipi notat. Vix enim est, ut si aliter accipiatur, ejus significatio ad donationes & transactiones porrigi possit, cum contrahere & transigere alias invicem opponantur. Vid. L. 1. §. conventionis 3. ff. de pact.

VENDITIONUM.) Venditioni respondet emptio, estq; unus contractus, qui emptio venditio dicitur, quoniam in eo alius est venditor, alius emptor: atque hunc contractum potissimum respexisse Justinianum, cum hanc constitutionem conderet, multis argumentis ostendi posset, si res posceret.

PERMUTATIONUM.) Jure Rom. permutatio à traditione initium capit; conventio autem de permutando absque traditione actionem non prædicat L. 1. §. item emptio 2 ff. de rer. permut. Utrinqve difficultas. Sive enim ponamus, traditionem ex una parte factam esse, num is, qui tradidit, propterea, quod instrumentum, quod super permutatione confici partes voluere, nondum confectum aut absolutum est, fortè etiam nunquam conficitur & absolvitur, nullum jus habebit? aut contra ea si pactum de permutando initum, & traditionem nec dum securam dicamus, num pactum illud propterea, quod inscripturam receptum um est, ad actionem proficiet? Commoda interpretatione juvandus textus noster est. Nempe pactum de permutando ad actionem proficit, si stipulatio subjecta sit L. ex placito 3. C. de rer. permut. Dicamus itaque tali permutatione s. pacto de permutando sensisse Justinianum, cui stipulatio subjiceretur, illudq; in scriptis fieri placuisse. Hic juxta legem nostram, antequam scriptura fuerit perfecta, permutatio vires non habebit.

DONATIONUM.) Donatio i. e. doni datio L. Senatus censuit 35. §. 1 ff. de mort. caus. don. quatenus ab Imperatore nostro inter modos acquirendi refertur. pr. I. de donat. traditionem rei donatæ involvit. Vid. Vinn. ad d. pr. I. de donat. Eckolt. Tract. Pand. ad tit. de donat. §. 1. nec promissio doni jure Rom. ante L. si quis argentum 35. C. de donat. ad actionem proficiebat, nisi stipulatio esset subjecta d. L. 35. §. f. L. hac ratio 3. §. sciendum 10. ff. de donat. inter vir & uxor. Cum ergò dicta L. si quis argentum 35. C. de donat. biennio ferè in-

D 2

te gro



120



tegro nostrā recentior sit, idem dubium esse potest, quod de permutatione movimus. Sive enim de datione intelligamus, quomodo traditio illa donandi causa facta nihil operabitur? sive de promissione, quomodo pactum illud nudum licet in scripturam redactum ante d. L. 35. ad actionem proficiebat? Dici itidem poterit, Imperatorem de promissione donationis causā factā sensitse, cui stipulatio fuerit subjicienda. Hodie sane postquam pactum de donando, per sapius d. L. 35. vires ad producendam actionem accepit, optimè donatio exemplum Legis nostræ fieri potest.

QVAS INTIMARI NON EST NECESSARIUM) Sunt qui affirmativè legunt, & ita quoque Theodorus Græcus Basilicorum interpres ad *Lib. XXII. Basil. tit. 1. constit. 76.* quæ summam legis nostræ exhibet. Vertit enim *δωρεῶν δ' ἐπιπένη πρᾶξις ὑπομνημάτων* i. e. *donatio, quæ opus habet, ut monumenta conscribantur.* Sed ipsa illa constitutio in Basilicis habet *ἀλάττης τῶν ὀνομασμάτων* i. e. *minores quingentis solidis.* Nempe donationes actis insinuari primus Constantinus M. iussit in *L. donatio sive directa 25. C. de donat.* verbis: *actis etiam annectendis, quæ apud Judicem vel Magistratus conscribenda sunt, ubi hoc leges exposcunt* (Nota: verba, ubi hoc leges exposcunt, à Triboniano adjecta sunt, ut constat ex Cod. Theodos. ubi eadem Constantini Lex habetur *Lib. VIII. tit. de donat. 12. L. 1.* inde in Codicem Justinianum translata) Constantinum autem M. primum insinuandarum donationum autorem fuisse, benè ostendit Jacob Gothofredus in *Commentar. ad d. L. 1. C. Theodos. de donat. vers. bujus porrò insinuatiæ.* Causa, quæ Constantinum movit, fraudes fuere, quas in confingendis donationibus sæpè occurre animadvertit, quibus ea ratione viam occludere voluit, ut constat ex *L. data jam pridem 27. Cod. eod.* quæ ejusdem Constantini est. Porrò insinuandi necessitatem Principes ad eas donationes, quæ majores fuerint ducentorum solidorum, restrinxisse clarè pronunciat Justinianus in *§. alia autem 2. I. de donat.* Ad quem locum Vinnius in *Commentar.* putat, quantitatem illam ducentorum aureorum L. Cincia fuisse definitam; de qua Cincia L. sic Ulpianus, *Fragm. tit. 1. pr. imperfecta Lex est veluti Cincia, quæ supra certum modum donari prohibuit, exceptis quibusdam cognatis.* Sed modum illum Ulpianus non definit, nec ullo argumento, illum ducentorum aureorum fuisse, probari potest. Et quid Lex Cincia ad



102  
8  
13  
cia ad insinuationem donationem, quam à Constant. M. demum  
introducendam ostendimus, cum, Cinciam Legem liberâ Re-  
publicâ latam, satis constet? Vid. Jacob. Gothofredus *Commen-*  
*tar. ad L. juxta D. Pii 4. C. Theodos. d. t. de donat. vers. nunc de L. Cinc-*  
*cia.* Quid quod ipse Justinianus *allegato loco* non ad legem ali-  
quam, sed ad Principum dispositiones quantitatem illam ducento-  
rum solidorum refert? ut probabilior sit laudati Gothofredi  
sententia in *Commentar. ad L. ult. C. Theod. tit. de sponsal. & ante*  
*nupt. donat. §. Lib. III.* Justinianum Theodosium juniorem intelle-  
xisse, qui in ipsa illa *L. ult.* actorum confectionem in donatione  
ante nuptias, quæ intra ducentorum solidorum quantitatem esset,  
remisit. Probat hanc Gothofred. sententiam *L. sancimus 34. C. de*  
*donat.* in qua Justinianus, dum quantitatem illam ducentorum so-  
lidorum ad trecentos solidos extendit, ut communes donationes  
hac in parte donationibus ante nuptias similes sint, constituit, ver-  
bis: *sancimus, omnem donationem, sive communem, sive ante nuptias*  
*factam, neq; ad trecentos solidos cumulata, non indigere monumen-*  
*tis, sed communem formam habere: ut non ad ducentorum solidorum*  
*summam teneat; sed in hujusmodi observatione similes sint, tam com-*  
*munes, quam ante nuptias donationes.* Ex quibus non obscure  
colligi potest, necessitatem insinuandi primum in donationibus  
ante nuptias intra certam quantitatem remissam: idq; jus postea  
ad donationes communes extensum fuisse. Cæterum insinuationis  
necessitatem Justinianus ad extremum usque ad quingentos so-  
lidos remisit *L. penult. §. ult. C. d. t. donat.* Atque hoc est, quod  
Basilica verba nostri textus: *donationum, quas intimari non est ne-*  
*cessarium, minores quingentorum solidorum* interpretantur. Rati-  
onem autem cur Lex nostra saltem ad donationes quingentis soli-  
dis minores pertineat, eam reddit Thalelaus in *scholiis ad d. locum*  
*Basilicarum*: quia si donationes majores sint quingentis solidis, ea,  
quæ in hac lege continentur, non sufficerent ad earum validitatem,  
sed insinuatione præterea opus foret. Posset & illud dici, quod si  
majores essent quingentis solidis, adeoq; actis insinuandæ, nulla  
dubitatio de de liberata donatoris voluntate foret, qui eam apud  
acta & in judicio declaraverit, nec opus foret exigere, ut scriptura  
desuper conficiatur, cum Acta absq; scriptura confici non  
possint.

D 3

DATI



120



DATIONIS ETIAM ARRARUM] Arra & arrabo à Græco  
ἀρραβών & hoc ex Hebræo עֲרָבוֹן Gen. 38. v. 17. à Rad. עֲרָבָה miscuit,  
item spondit: unde arra & arrabo merito inter sordida vocabula  
referuntur à Gell. *Lib. 17. Noct. Attic. c. 2.* Quid autem est *contractus*  
*dationis arrarum?* sanè arram vel arræ dationem verum contractum  
haud esse, post Martinum antiquum Glossatorem communiter ho-  
diè placuit, teste Lauterbach. *Tract. de arra th. 14.* Et nos *contractus*  
vocabulum *conventionem* in genere supra interpretati fuimus Num  
ergò *contractus dationis arrarum* conventio de dandis arris est?  
sed talem conventionem in scriptis fieri nemo forte fando accipit;  
& solet arræ datio non futuræ conventioni præmitti, sed postquam  
conventum est, accedere *L. quod sepè 35. pr. ff. de contrah. emt.* Sunt  
qvi *dationes*, non *dationis* legunt, quibus verba, quæ sequuntur *vel*  
*alterius cujuscunq; causæ*, obstant; quæ si *dationes arrarum* legamus,  
commodam constructionem non habent; & præterea, quod dici non  
potest, dationem arrarum, si instrumentum desuper fieri placuerit,  
vires nullas habere, nisi instrumentum in mundum receptum &  
subscriptione confirmatum aut partibus absolutum sit; cum ipsa  
hæc Lex in ultimis verbis doceat, si arræ datæ sint, sive in scriptis, si-  
ve sine scriptis, eas, si emtio venditio non procedat, ex parte emto-  
ris amitti, ex parte venditoris verò duplicatas restitui debere. His  
difficultatibus utrinque pressi, commodissimam eam explicationem  
putamus, ut *contractus dationis arrarum* conventiones (nempe in  
scripturam recipiendas) quibus arræ datio accessit, interpretemur.  
Video enim etiam illos, qui arræ dationem effectum istum, ut pœ-  
nitere liceat, habere negant (quæ communis hodiè & recta senten-  
tia est,) id nihilominus admittere, adeoq; concedere arris etiam da-  
tis ab emtione-venditione recedere licere, si hanc in scriptis fieri  
placuerit, scriptura autem nondum perfecta sit, & emtor arram da-  
tam amittere, aut venditor duplicatam restituere velit. Lauterbach.  
*d. tract. th. 102.*

ALTERIUS CUJUSCUNQUE CAUSÆ] Causa h. l. genera-  
liter *rem vel negotium* significat, ut in *L. certi conditio 9. pr. ff. si cert.*  
*pet. L. quod in herede 9. §. 1. ff. de tribut. act. L. obligari 9. §. pupillus 2.*  
*ff. de aut. tutor L. uno 18. ff. de acceptil. neque specialis illa vocabuli*  
*causæ acceptio in L. jurisgentium 7. §. sed §. in alium 2. ff. de pact. (ubi*  
*cau.*



causam interpretantur factum aliquod præter solum pactum consensum, quod æquitate obligationis sustineat, huc pertinet Quod autem cujuscunque causæ contractus sive conventiones hic nominantur, intelligendum est quatenus conventiones istæ intra nudum consensus fines consistunt. Quod si enim res intervenerit v. g. in mutuo pecunia data, aut in deposito res fidei depositarii commissa sit, licet desuper scripturam confici placuerit, absurdum tamen fuerit statuere, nullum jus mutuo dantem, aut deponentem habere, antequam scriptura ista fuerit perfecta. Forte enim mutuo accipiens, aut depositarius curaret ne unquam scriptura conficiatur, aut confectam ipse nunquam subscriptione sua confirmaret; si ea ratione repetitionem mutuo dati, aut depositi effugere posset.

8  
13  
[ QVAS TAMEN ] Commodior lectio videtur; *illos tamen quos*  
[ IN SCRIPTIS FIERI PLACUIT ] Verba ista singula, quid significant, cuius per se patet. Phrasin autem integram & quando dicendum sit contractum in scriptis fieri placuisse, in quo tota hujus L. difficultas vertitur, peculiariter sequenti capite exponemus.

[ TRANSACTIONUM ETIAM ] Transactio est de re dubia & lite incerta neque finita, aliquo dato vel retento seu promisso, decidenda conventio L. 1. ff. de transact. L. transactio 38. L. transactionis 7. C. eod. Unde vocabulum *contractus* initio nostræ legis pro *conventionem*, ut diximus, positum, transactioni etiam convenit. Mavult tamen Donell. *Commentar. ad nostram L. Transactiones* legere, quod admodum inproprie *contractus transactionum* dicatur, cum per transactionem potius distrahatur, quam contrahatur negotium.

[ QVAS IN INSTRUMENTO RECIPI CONVENIT ] Instrumentum ab eo, quod causam instruit, dictum l. 1. ff. de fide instr. in genere quidem omne genus probationis denotat, s. per testes illa fiat, sive per scripturam d. L. 1. L. notionem 99. §. fin ff. de V. S. fere tamen de illo probandi modo, qui per scripturam fit, accipi solet L. exigere 65. ff. de judic. l. 1. C. de dilat. Idem; ipsa titulorum in C. §. ff. de testibus & de fide instrumentorum distinctio arguit. Solet in hac acceptione, quæ huic etiam loco propria est, dividi in publicum & privatum, idque argumento nostræ legis Dn. Struv. in Syntag. J. C. Exerc. 28. th. 22. Cæterum de phrasi, quando transactiones in instrumento recipi convenit, dicemus capite sequenti.

[ NON ALITER VIRES HABERE SANCIMUS ] Hæc verba explicantur infra vers. ut nulli. IN-

INSTRUMENTUM

120





**INSTRUMENTA IN MUNDUM RECEPTA** ] Mundum à mun-  
ditie dictum constat. Quando instrumentum in mundum receptum  
(Germ. ins reine geschrieben) dicatur, ne nō puto ignorat: quamvis  
phrasī illa forte in iure Justiniano amplius non occurrat. Basili-  
ca κατὰ ἀρχὴν verterunt; & Justinianus in *Nov. de tabellionibus* 44. c. ult.  
κατὰ ἀρχὴν καὶ ἐξ ἑδῶν puram chartam appellavit.

**SUBSCRIPTIONIBUSQ; PARTIUM CONFIRMATA** ] Par-  
tes vocant ] Cui qui invicem contrahunt, aut litigant, unde pars ad-  
versa in *L. cum te fundum* 6. C. de pact. inter emt. & vendit. Porro sub-  
scriptione nominis sui approbare quem, quod subscripsit, dudum  
receptum est, ac etiamnum usitatum *L. sicut* 8. §. non videtur 15 ff. qui-  
bus mod. pign. solv. *L. si ego* 9. §. ceterum 3. ff. de jure dot. *L. ult.* §. sin. au-  
tem 2. C. de jure deliber. modo tamen tenorem scripturæ legērit, aut  
alias perceperit subscribens *L. ult.* C. plus valere quod agitur & c. At-  
que tunc subscribentem subscripta approbare in tantum verum est,  
ut, subscribentem quasi per compendium totam scripturam sua ma-  
nu confecisse intelligi, tradant Felinus in c. 2. num. 2 X. de fide instru-  
mentorum, & plures allegati in *Barbof. locuplet. lib. 17. c. 60. n. 1.* scilicet  
si scripturæ contextus id ferat v. g. si scriptum sit, *Ego Titius notum  
facio & c.* Ceterum si approbatio illa interpretationem admittat,  
ut aut obligationem scribentis inducat, aut non inducat, tunc, quo-  
niam jura proniora sunt ad liberandum, quam ad obligandum *L.  
Arrianus* 47. ff. de O. & A. ea capitur interpretatio, quæ obligationem  
excludit. Hinc eum, qui ut testis subscribit, non videri consensisse in  
contenta scripturæ arg. *L. Titia* 34. §. Lucia 2 ff. de legat. 2. commu-  
niter statuunt. vid. *Tabor. in Barbof. l. c.* In casibus de quibus nostra  
*L.* loquitur non potest non videri subscribens consensisse & obli-  
gare se voluisse, cum id omnino actum sit.

**PER TABELLIONEM** ] Tabellio à tabulis, in quibus cera illi-  
tis antiqui scribebant, dictus Græcis hic & alibi constanter ου. Βο-  
λας ὄρεα O. & vertitur: à quo tabularium differre *Nov. de tabellioni-  
bus* 44. pr. & *Nov. de instrumentorum cautela* 73. c. penult. satis argu-  
unt. Nempe Tabularii publico ministrabant sive circa judicialia si-  
ve circa pecunias & rationes. Peretz ad tit. C. de tabular. scrib. Logo-  
graph. in X. Jacob Gotofr. commentar. in C. Theod. ad L. 1. tit. de tabular.  
Logographis & censual. 2. Lib VIII. versic. Tabularii. Erant olim servi  
*L. non aliter* 18 ff. de adopt. junct. *Theoph. in §. cum autem impubes* 3.  
Leod.



102 (11)  
18  
13  
1. eod. qui verba §. istius personæ publicæ h. e. tabulario explicat: scilicet, ut per eos cives acquirere possent, vid. *L. si pupillus 2. ff. rem pupilli vel adolescentis salvo fore.* Sed postea ut liberi homines illi munerari præficerentur ab Arcadio & Honorio in *L. Generali lege 3. C. de tabular. scrib. & c. in X.* constitutum est. Mansit tamen mos, ut civium loco intervenirent. Cujac. *Commentar. ad tres posteriores libros Cod. tit. de decurionibus in X. ad L. universos 15. in fin.* Unde quoque esse videtur, quod tabularii in allegg. binis *Novell. 44. & 73.* adhibiti legantur, qui literarum imperitorum nomina instrumentis subscriberent. Appellantur conditionales in *L. scripturas 11. C. qui potiores in pign. & c.* eò quod conditione (quæ vox certum hominum statum denotat in *L. Heres institutus 32. §. ult. L. sed si de sua 34. ff. de acquirend. vel omittend. hered. & L. cum scimus 22. C. de agricol. & censit. in XI.*) sua adstricti tenerentur. vid. Jac. Gothofr. in *Comm. Cod. Theodos. ad L. utilitate spadente 3. tit. de Numerariis actuariis & c. 1. lit. B.* Ab his tabulariis itaq; diversi erant Tabelliones, qui pragmatici etiam dicuntur in *L. moris est 9. §. non nunquam 4. ff. de pœnis & à Cujac. d. l. publici contractuum & testamentorum scriptores* definiuntur. Suidæ in voce *ἑπιγραφεύων* & in voce *περιγράφων*, qui omnes civium scripturas perficit: h. e. gestis civium legalem formam inducit, illaq; in scripturam redigit: quem & *ρομῖνον* i. e. legalem appellari ibi monet. Et sanè Tabelliones juris studiosis i. e. Judicum Assessoribus ac Advocatis junguntur in *d. S. 4. L. 9. ff. de pœn.* videantur plura de Tabellionibus apud Jac. Gothofr. *Comment. in Cod. Theod. ad L. universos 3. tit. de decurionibus 1. lib. XII.* Hodie Notarios publicos dici constat, Peretz *ad tit. C. de tabellariis scribis & c. in X. n. 10. Tholos. in Synag. Jur. lib. 47. C. 42. n. 4.* Notarios verò, qui scribæ erant & prius dicebantur, ex eo appellatos, quod notis non literis scriberent celeritatis gratia *L. Lucius Titius 40. pr. ff. de militar. testam.*

ETIAM] h. e. præterquam quod in mundum recepta esse debent. Solent namque Notarii, antequam instrumentum solenne conficiant, brevibus negotium, prout geritur, in chartam conjicere, quam Protocollum vocant, alio plane, quam à Justiniano vocabulum *περωτοκόλλων* in *Novell. de Tabellionibus 44. c. ult.* adhibetur sensu. Ibi enim docente Cujacio ad *d. Novell. in fin.* & Dion. Gothofr. *ad inscriptionem illius* denotat adnotationem in extremo chartæ, quæ declarabat, quo comite largitionum (sub cuius cura erant chartariae)

E

tariae)



varia) quo tempore & à quo charta ista esset confecta: quam absin-  
di ibi vetat Justinianus, eo, quod non raro falsitas instrumenti ex  
istio Protocollo fuerit detecta. Quo pertinet, quod ibidem re-  
fert Cujacius, Lutetiae Parisiorum Senatùm aliquando chirogra-  
phum ex die in eo adscripto, quo nondum ejus notæ charta ulla in  
rerum natura fuerat, certissimo argumento quasi falsum improba-  
se: ac mihi quoque retulit Magnif. Dn. Ordinarius noster D. Ca-  
spar Zieglerus, Parentem suum sibi cognominem, celebrem olim a-  
pud Lipsienses causarum Patronum, eodem argumento magnæ  
summæ, quam chirographum præ se ferebat, periculo clientem libe-  
rasse. Sed hæc obiter.

AB IPSO COMPLETA ET POSTREMO A PARTIBUS AB-  
SOLUTA SINT] Completio Græcis *πλήρωσις*, & absolutio Græcis  
*ἀπόλυσις* hîc & in Novell. de Tabell. 44. c. 1. distinguuntur, quæ ta-  
men in *pr. d. Nov.* confundi videntur. Quid vocabulis istis significetur,  
non adeo obvium est. Glossa instrumenta absoluta *subscripta à*  
*partibus* interpretatur. Sed partium subscriptionem in instrumentis  
à Notario confectis requiri, nec usus servat, nec ullo juris textu  
probari potest. Neque enim *cap. sed & si instrumenta §. Novell. de in-*  
*strumentorum cautela & fide & c. 73.* cum *cap. seq.* quicquam tale ha-  
bet Rectius itaque Aldrobandinus & Vinnius ad *pr. l. de emt. vendit.*  
absoluta interpretantur partibus prælecta, atque sic ab ipsis appro-  
bata. Nempe ad officium Notarii pertinet, ut contenta instrumen-  
ti, qualia sunt pacta, renunciaciones & clausulæ &c. partibus præ-  
legat, si minus intelligant, exponat, atque illarum consensum de-  
super exquirat. Kaiser Maximiliani Ordnung zu Unterrichtung  
der ofnen Notarien &c. Zu Cölln de A 1512. §. Dann nachdem &c. ibi:  
Dann nach dem die Verwilligung und Meinung des / der also vor  
ihm handelt und contrahiret / ein wesentlich und substantial Stück  
ist / desselben contracts oder Handels / und aller andern Dingen da-  
ran sich die Partheyen vereinigen und übereinkommen / ob sie gleich  
von Gewohheit darbey gesetz würden / und dann solcher consens  
und Verwilligung nicht gestreckt werden mag auf dasjenige / das  
einen nicht wissend ist / so er fodert die Nothdurft / daß ein Notarius  
vor ihm und den Zeugen zum wenigsten summarie den Partheyen  
erzehle und lese die pacta verzicht und jede Clauffeln / darauff die  
Krafft und Macht, der Handlung vor ihm geschehen / gestellet  
were



102  
13  
were/ und den Consens und Verwilligung darauff aussprechen lasse  
&c. Und am meisten und insouderheit ist solches zu halten in den  
contracten und Händeln / darinnen zu ihrer substanz die Schrift ge-  
hörig: alsdeñ erfodert die Nothdurft/das alle und jede Puncten den  
Parteyen und Zeugen von Wort zu Wort vorgelesen werden &c.  
Bart. in L. si quis ex argentariis 6. §. si initium 6. ff. de edendo. Felin. in  
c. 1. x. de fid. instrum. Ceterum absolutio s. ἀπολύσις instrumenti in  
L. nostra completionem instrumenti sequitur, sed in d. Nov. de Tab.  
44. quæ recentior est, c. 1. expresse præmittitur, verbis juxta Halo-  
andri versionem (vulgata parum sani hic habet.) Nos toti universitati  
ex eo opem ferendam & in commune legem ad omnia pertinentem con-  
ficiendam esse putavimus, ut tabelliones, qui ei officio præsent, ipsi per  
se omnibus modis & instrumenti conscribendi mandatum accipiant, &  
cum absolvitur, intersint: neq; aliter summa charta manus imposita in-  
telligatur, nisi hæc ita confecta sint. In Græco: αὐτὸς δι' αὐτῶν ἐν παν-  
τὸς τρόπῳ ἐπιτάττει τὸ συμβόλαιον, ἵνα κατε ἀπολύσις ὡραγι-  
νῶς καὶ μὴ ἄλλως σπιθῆναι τῷ χάρτη τὴν πλήρωσιν πληρῆ εἰ μὴ  
ταῦτα πράξειν: Hanc instrumenti completionem diversam à con-  
scriptione instrumenti, mundatione (ut sic loquar, hodie ingrossa-  
tionem, die ingrossirung/vocant) & absoluteione esse ex textu nostro  
& hætenus dictis constat. Quæritur autem quomodo olim com-  
pleta fuerint instrumenta? si ex hodiernis antiqui mores censendi  
sint, dixerim, subscriptionem Notarii completionem eam esse, quæ  
in instrumento solenni necessaria est, Anton. Fab. Lib. 4. Cod. tit. 16. de  
fin. 21. dict. Ordinat. Maximil. I. de Notar. de A. 1519. §. und nachdem. ibi:  
Und nachdem von gemeinen Rechten brauch / Übung und Gewohn-  
heit eingeführet ist/das in Aufrihtung der offnen instrumenten und  
ihrer solennitäten die Form gehalten: nemlich/ das im Anfang nach  
Anruffung Göttlichen Nahmens / von dem alle Gutthat kömmet/  
die Jahrzal unsers Heyls / Römisch Zinszahl/ indictio genant/der  
Nahme des obersten Fürsten: darnach Monat/Tag/Stund/Wahl-  
stert/ und an welchen Orthe derselben: dann der Inhalt beschehener  
Handelungen/zu dem die Zeugen darzu genommen/ derer aller Nah-  
men und Zunahmen klärlich beschrieben / und zulezt das Signet  
und Unterschrift der Notarien/die allweg darzu erbeten und  
gefordert / und von derselben Bittung oder Erfoderung Anzeigung  
gethan / gesetzt werde / darumb so gebieten und ordnen wir dieselbe

§ 2

Form



120



Form furthln in acht zu haben/ &c. adeo, ut quavis Notarius alii  
mundum scribendum committere possit, ipse tamen subscribere te-  
neatur d. Ord. Maximil. I. §. und wiewohl. ibi: und wiewohl von Ge-  
wohnheit einen Notarien gestatter/ wenn er daran verhindert wird/  
durch einen andern Getreuen sein instrument, so er begriffen und  
compliret hat/ingrossiren zulassen/also/das er solches nachmals selbst  
unterschreibe/ so soll er doch &c. in seiner subscription von eines an-  
dern ingrossirung bezeugen. (Obiter notamus, Imperatorem Maxi-  
mil. h. l. completionis vocabulo pro eo, quod extensionem aliàs di-  
cimus, uti. Solent enim Notarii in Protocolis non omnia verba  
perscribere, sed ad ea, quæ vel ex natura negotii, vel ex stylo instru-  
mentorum subintelligi possunt, significanda etceterationibus uti:  
Unde illa Itali lecto surgentis matutina precatio, ut custodiretur; da  
furia de' villani, da guazambaglio de' Medici, & da cetere de' No-  
tarij, apud Tholos. *Synt. Jur. Lib. 47. c. 42. n. 5.* Formulas talium instru-  
mentorum, ut in ipsis Notariorum Protocolis concipiuntur, quæ  
cæterata vulgo vocant, videat cui lubet apud Autorem Artis Nota-  
riatus *Tom. 2. p. m. 354. seqq.* Has itaque etceterationes postea cum  
solenne instrumentum conficitur, complent, quod, quando fit,  
communiter extendere instrumentum dicuntur. Imperator Maxi-  
mil. autem complere vocavit. Sed quo minus vocabulum *completa*  
eo sensu ab Imperatore Justiniano adhibitum dicamus, præmissa  
vetant, quæ ante completionem instrumentum in mundum recep-  
tum dicunt, quod mundum necessario extensio præcedit.) Et quo-  
niam, si quis nudum nomen subscripserit, sciri non potest, an tan-  
quam Notarius, an verò ut testis vel privatus alius subscripserit, cum  
& alii, quam Notarii, possint conficere sc. privatas, & Notarii etiam  
non semper conficiant publicas, hinc præterea exigunt, ut expri-  
mat, quod tanquam Notarius subscripserit. Lucas de Penna in *L.*  
*Generali 3. C. de tabellion. in 10.* Formulae variæ sunt. Nos binas subjici-  
emus v. g. Latinè. *Ego N. N. Imperiali auctoritate Judex ordinarius,*  
*Notariusq; publicus vocatus & rogatus prædictis omnibus interfui*  
*& in fidem præmissorum me subscripsi, signumq; meum apposui.*  
Germanicè. Und ich N. N. aus Kayserslicher Macht und Gewalt  
geschwornen Notarius hienit uhrkunde und bekenne / das nach dem  
ich diesen allen / wie obstehet / persöhullich beywohnet / solches gelesen /  
und angehoret / ich darüber feigenwertiges instrument begriffen /  
hierzu insonderheit requiriret und erbeten. Cæterum ad com-  
plet



102  
18  
13  
pletionem (uti nos vocabulo isto utimur) instrumenti etiam per-  
tinet, ut Notarius sigillum apponat. Ordinari Maximil. §. *supra al-*  
*legato* und nachdem &c. *verbis* zuließt das Signet. De quo Bart.  
in §. *si initium* 6. L. *si quis ex argentariis* 6. num. 32. ff. *de edend.* scribit,  
omnes Dd. nullo excepto in hoc concordare, quod hoc sit de sub-  
stantia publici instrumenti. Solet autem certus sigilli character  
unicuique Notario, quando creatur, attribui: unde quarunt Dd.  
si fortè Notarius instrumentum non caractere illo sed sigillo suo  
privato signavit, num sustineri possit. Et invalidum esse decidit  
Serenis. Elect. Joh. Georg. II. in *Decis.* 20. verb. Worinnen eines  
Notarii Ambr und Verrichtung besthet/das ist in Kaiser Maximi-  
liani Ordnung de Anno 1512. und andern Reichsabschieden umb-  
ständlich beschriben: Nachdem nun darinnen bey verfertigung der  
instrumentum unter andern solennitäten zuletzt des Notarii Si-  
gnet erfordert/ seines Pitschaffts aber nicht gedacht/ sondern ihm  
vielmehr ausdrücklich verboten wird/ sein gewöhnlich Signet oh-  
ne Gewalt des Richters und aus redlichen ursachen nicht zuver-  
wandeln/ ändern/ oder mit eines andern Zeichen sein instrument  
zuzeichnen; auff welche Kaiserliche Ordnung auch alle Notarii zu-  
schweren pflegen: So ist unser ernstlicher Wille und Meinung/das  
dieser vorgeschriebenen Form/ ungeachtet eilliche Rechtslehrer die-  
selbe nur pro forma accidentali halten wollen/ genau nachgegan-  
gen, und wann ein Notarius dawieder handelt/ und in sachen/darzu  
er als ein Notarius erfordert und gebrauchet worden / bey auff-  
richtung eines instrumenti nicht sein bey den Notariat. 2. 1. 1. er-  
laubtes Signet, sondern nur sein privat Pitschafft allein gebräuchet/  
dasselbe vor unkräftig gehalten/ und er nach gelegenheit der sachen  
Wichtigkeit/wilckührlich bestraffet werden solle. Pandem de subscri-  
ptione testium, num ea necessaria sit, & ad completionem instru-  
menti pertineat, dicendum est. Equidem znte Nov. *de instrum. cau-*  
*tela* §. *fide* 73. ad actum, qui coram tabellione gerebatur; extra cer-  
tos casus testes requisitos fuisse jure Justiniano forte probari non  
potest. Post promulgationem verò dictæ Nov. res dubium non ha-  
bet, propter *cap. in d. Nov. sed* §. *si instrumenta* 5. ibi: *sed* §. *si instru-*  
*menta publice confecta sint, licet tabellionum habent supplementū, ad-*  
*ficiatur* §. *eis, antequam compleantur* (sicut dictum est) *testium ex scri-*  
*ptopresentia.* Cui convenit Ord. Maximil. §. *supra alleg.* und nach-

E 3

(Dem.



120



dem. ibi: die Zeugen darzu genommen. Sed an ipsorum subscriptio necessaria sit, quaeritur. Et non esse necessariam communis sententia habet, Bal. & Dd. in L. in donationibus 31. C. de donat. Wesenbec. paratit. de fide instrum. n. 5. ibiq; Bachovius & Habn. quam Imperator Maximil. etiam sequutus videtur: nullibi enim in saepius alleg. Ord. sua pro informatione Notar. illam subscriptionem exegit. Sed contraria sententia, subscriptionem nempe testium necessariam esse, quam etiam defendit Bachov. d. l. allegato textui Novella omnino convenit. Notari velim verba: *testium ex scripto praesentia* Graec. τὴν ἐν γράμμασι τῶν μαρτύρων, ὡς εἶρηται, παρῶν cum primis verba ὡς εἶρηται, sicut dictum est, quibus cap. superius, sed & si quis 2. respicitur, in quo de testibus expresse dicitur, veniant & propriis (NB.) subscriptionibus attestentur. Unde cauti moderni nostri Notarii, quoties instrumentum super actu coram ipsis gesto conficiendum est, testes non tantum actui quando geritur, ut interveniant, sed & instrumento ut nomina sua subscribant, sedulo curant. Atque haec de absolute & completionem instrumentorum.

SCHEDA) Vocabulum hoc à *σχῆμα* Latino scindo derivat Cujacius in *Exposit. Nov. 44.* sed allusio potius est: neque enim Graecum Jod in Latinum E. mutari solet. Significat autem tabellam, aut papyrus, vel simile quid, in quo tumultuarie scribimus. Diminutivum ejus schedula. Unde Germanicum Zedul.

LICET LITERAS UNIUS PARTIS VEL AMBARUM HABEAT) Quod fit quando summa negotii capita in chartam conjiciuntur, cui partes vel ambæ, vel alterutra (contra quam sc. altera agere intendit,) subscribunt. Punctationes vocamus.

IMPLETUM VEL ABSOLUTUM) Impletum per subscriptionem partium, si sit privatum instrumentum. Absolutum h. e. partibus praelectum atque sic ab ipsis tacite vel expresse approbatum, si sit publicum. Caeterum absolutum hic ponitur quasi ultimam ad instrumenti publici perfectionem requisitum; quod verò hodie completio instrumenti est; ut supra diximus.

ALIQVOD JUS SIBI EX EODEM CONTRACTU VEL TRANSACTIONE VINDICARE) Si nulli parti licet aliquod jus sibi ex contractu illo vel transactione vindicare, sequitur quod poenitentiae locus sit, & utrique parti à contractu vel transactione recedere liceat, ut loquitur Imperator in *pr. l. de emt. & vendit.*

HUJUS.



102  
18  
13  
HUIJUSMODI VENDITIONIBUS.) Diximus supra Imperato-  
ri contractum emtionis vendit. potissimum in mente fuisse, cum  
hanc constitutionem conderet.

PRETIO STATUTO ) *Emtio venditio contrahitur, simulatque  
deprecatio convenerit, ait Imperator in pr. I. de emt. vendit. & Paulus  
in L. 1. §. item emtio 2. ff. de rer. permut. Emtio venditio nuda consen-  
scientium voluntate contrahitur.*

CONTRACTUM VENDITIONIS PERFICERE ) Sc. tradendo  
rem venditam. Alias distinguitur inter perfectionem emtionis-  
venditionis, ejusq; adimpletionem s. consummationem. Et perfici  
dicitur emtio venditio, quando conventum est & pretium statu-  
tum *L. inter patrem 2. §. 1. ff. de contrab. erat.* Adimpleri verò  
quando pretium numeratum & res tradita *pr. I. d. tit. ibiq; Vinn.  
n. 1.* Sed hinc Imperator verbo *perficere* pro *adimplere* usus est.

ID QVOD EMTORIS INTEREST ) *Interesse alicujus Paulus  
definit in L. si commissa 13 ff. ratam rem haberi & c. quantum ipsi ab-  
est quantumque lucrari potuit, h. e. ex damno perperlo & lucro in-  
tercepto.*

Ceterum ex eo, quod hic dicitur, venditori necessitatem impo-  
ni, vel contractum venditionis perficere, vel id, quod emtoris in-  
terest, ei persolvere, vulgo colligunt, venditorem præcisè ad rem  
tradendam (i. e. possessionem ejus in emtorem transferendam *L. ex  
emto 11. §. & in primis 2. ff. de act. emt. & vendit.*) non teneri. Nempe  
inter antiquos Glossographos Johannem & Martinum cepta ac  
etiamnum agitata controversia est, num venditor præcisè trade-  
re teneatur rem venditam, an verò præstando interesse liberetur:  
quorum illud Martinus, hoc Johannes asseruere. Longum foret  
singula eorum argumenta, & quid utraqve pars ad illa reponat,  
hic recensere. Videantur ea ap. *Bachov. ad Treutler. vol. 1. disp. 28.  
§. 2. lit. c. & Wissenbach. Disp. ad Pandect. 37. §. 2.* qui Johannem item-  
que apud *Zoes. ad tit. ff. de act. emt. & vendit. n. 12. seqq.* & *Vinn. Com-  
mentar. ad pr. I. tit. de emt. vend. n. 3. seqq.* qui Martinum sequuntur.  
Atque horum sententia nobis quoque semper analogiæ juris magis  
convenire visa est. Cum enim emtor agat ad rem tradendam  
*L. ex emto 11. pr. & §. 1. ff. de act. emt. & vendit.* adeoq; judex ut sen-  
tentia libello sit conformis, venditorem ita condemnare debeat  
*L. ut fundus 18 ff. comm. divid. L. ult. C. de fideicom. libert.* sufficiens  
diffe-



120





differentiæ ratio dari nequit, cur ab eo, qui restituere iussus iudicis non paret, manu militari officio iudicis possessio transferenda sit *L. qui restituere iussus 68. ff. de R. vind.* contra eum verò qui tradere iussus non paret, eadem ratione procedi non possit. Estq; hæc Martini sententia praxi etiam recepta, ut ipse adversæ patronus Wissenbach. *all.* fatetur. Qui Johannem sequuntur (moti cum primis, ut videtur, illo argumento, quod rem tradi ad obligationes faciendi pertineat, *L. stipulationes 72. pr. ff. de V. O.* in obligationibus faciendi autem ita jus sit, ut non fiat, quod promissum est, reus in pecuniam numeratam s. id quod actoris interest, condemnatur, *L. si quis ab alio 13. in fin. ff. de Re jud.* Ad quod responderi solet, ex obligatione faciendi tunc in id, quod interest, reum condemnandum esse, si obligati præcisè factum rei exigat, nec per æquipollens adimpleri possit v.g. tabulum pingere, monumentum extruere: secus verò se rem habere, si obligatio factum ipsius promissoris non exigat, imò quodammodo mixtam naturam habeat & de obligatione dandi participet, qualis illa de re tradenda sit. Sic obligatio restituendi i.e. retro statuendi Gædd. ad *L. plus est 22. ff. de V. S. n. 2.* etiam factum continet, ac nihilominus à non restituente manu militari res aufertur, ut supra ex *L. qui restituere iussus 68. ff. de R. V.* notavimus. Potest etiam dici, textum in *L. si quis ab alio 13. de Re jud.* qui ex obligationibus faciendi reum in pecuniam numeratam condemnari vult, de illis faciendi obligationibus loqui, quibus aliquid non fieri promissum est, uti ex exemplo ibi adducto, in quo quis promisit *prohibere se ut aliquod damnum stipulator patiatur*: contra quod promissum si quid factum sit, cum factum infectum fieri nequeat, necessario ad pecuniariam condemnationem deveniendum esse: inter alia argumentum ex nostro textu petunt, quasi arbitrio venditoris permittatur, num rem tradere, an verò id, quod emtoris interest, ei persolvere malit. Sed tantum abest, quicquam ex hoc textu pro Johanne colligi posse, ut contra ea firmum pro Martino argumentum præbeat. Loquitur enim Imperator per *μειων*, & dicit: *adeo, ut nec illud in hujusmodi venditionibus liceat dicere, quod pretio statuto necessitas venditori imponatur &c.* quod satis certo argumento est, ex contractu venditionis graviolem etiam quam hanc, sc. ut aut rem tradat, aut interesse persolvat, obligationem dari, quæ nulla alia, quam præcisa tradendi necessitas esse potest. IN



102  
18  
13  
IN POSTEA CONFICIENDIS INSTRUMENTIS ) *Leges*  
futuris formam dare negotiis satis claret.

QVÆ JAM SCRIPTA NONDUM AUTEM ABSOLUTA  
SUNT ) Instrumenta à Tabellione confecta, quæ *ἀγοραία* s. forensia  
itemq; publica vocantur, absolvi dici, quando partibus prælegun-  
tur, sicq; tacito vel expresso consensu ab ipsis approbantur, idq; olim  
tempore nostræ constitutionis ultimum in instrumento publico con-  
ficiendo fuisse, hodie vero hanc absolutionem ejus completionem  
præcedere supra tradimus: de quibus adeo Imperator hic loquitur.  
Idem tamen procul dubio in instrumento privata nondum in  
mundum recepto, aut subscriptionibus partium confirmato, &  
multo magis in contractu vel transactione tantum conventis, &  
plane nondum in scripturam redactis, modo tamen contractum il-  
lum vel transactionem in scriptis fieri placuerit, propter identita-  
tem rationis obtinebit. Cæterum de negotiis pendentibus Impe-  
rator hic loqui videtur, juxta *L. Leges & constitutiones 7. C. de LL. &*  
*constit. Princ. & c. Leges & constitutiones futuris certum & est dare*  
*formam negotiis, non ad facta præterita revocari: nisi nominatim &*  
*de præterito tempore, & adhuc pendentibus negotiis cautum sit.* Equi-  
dem communis sententia juxta analogiam rationis recte Legem  
novam præsentis etiam casus comprehendere statuit, adeoq; pen-  
dencia negotia in *d. l. 7.* interpretatur, quæ non nunc primùm, dum  
lex promulgatur contrahuntur, nec ante legis promulgationem ab-  
soluta sunt, sed jam ante contracta nec dum juxta antiquas leges de-  
cisa sunt vid. *Coëdd. ad tit. ff. de verb. sign. L. verbum oportebit 8. n. 6.*  
*Tabor in Barbosa. lucupl. lib. 10. c. 10. n. 40.* Sed de eo non est, ut hic  
soliciti simus, cum expresse Imperator constitutionem hanc suam  
in negotiis pendentibus locum habere velit. Imò si accuratè rem  
putemus, de præsentibus non tantum, sed & præteritis Imperator  
hic loquitur negotiis. Omnino enim contractus & transactiones,  
de quibus Imperatori agere propositum, ante hanc constitutionem  
perfecti erant, modo utriusq; partis consensus intervenisset, ut eos  
in scriptis fieri placuisset, aut desuper confectum instrumentum  
nondum absolutum esset.

NISI JAM SUPRA HIS TRANSACTUM SIT VEL JUDI-  
CATUM, QVÆ RETRACTARI NON POSSUNT.) Non est du-  
bium, si contractus, quem in scriptis fieri placuerit, aut transactio,  
F quam





quam instrumento recipi convenerit, fuerint adimpleta v.g. ex per-  
mutatione res utrinque præstita, ex transactione liti renunciatum,  
& pecunia soluta, Imperatorem talia, utut scriptura desuper confe-  
cta haud fuerit absoluta, retractari non voluisse; nimis enim quies  
subjectorum fuisset convulsa. Sed si nihil adhucdum præstitio u-  
na parte conventionis placitum urgente, urgente, altera verò illi  
stare recusante, aut conventum ita fuisse negante scriptura non-  
dum absoluta producta fuisset, Imperator illam vim habere noluit.  
Excipit verò, si forte super firmitate conventionis controversia jam  
orta vel per sententiam vel per transactionem sopita esset, quos  
duos casus excipere Imperatori nostro, quoties legem novam s. ad  
præsentia s. ad præterita negotia pertinere vult, solenne esse ex L.  
*facimus res 22. C. de SS. Eccl. & L. unic. C. de contract. judicum & c.*  
patet. Et rem quidem iudicatum, quoniam publicè interest, ut  
suis vigor, suaq; autoritas rei iudicatæ constet L. *Servo invitob5. S.*  
*tum Prator. 2. ff. ad Sct. Trebell.* transactionem vero, quoniam ejus  
non minor, quam rei iudicatæ autoritas est L. *non minore 20.*  
*C. de transact.*

EXCEPTIS EMTIONALIBUS TANTUM INSTRUMENTIS  
JAM VEL IN SCHEDA VEL IN MUNDO CONSCRIPTIS.)  
In Scheda si privatum, in mundo si publicum sit instrumentum. Cæ-  
terum idem juris erit si emtio venditio prorsus nondum in scriptu-  
ram sit redacta, scilicet de qua tamen, eam in scripris fieri placuerit.

PRISCA JURA IN HIS TENERE CONCEDIMUS.) Quæ  
non attento, Scriptura, quam desuper fieri placuit, in mundum sit  
redacta & à partibus subscripta, sc. privata, aut, si publica, absoluta  
necne, pretio statuto necessitatem imponunt, emtori quidem sol-  
vendi pretium, venditori verò rem tradendi, ut supra diximus. Est  
autem hoc ipsum, quod à Lege sua nova Imperator emtionem ex-  
cipit, argumentum ejus, quod supra diximus, eum constitutionem  
hanc suam ad præterita quodammodo negotia pertinere voluisse:  
nihil enim causæ suberat, cur emtionem, cujus instrumentum non-  
dum absolutum esset, excepisset, nisi eam pro perfecta habuisset, id  
quod etiam juris veteris regulis conveniens erat. Noluit autem  
Imperator constitutionem suam ad præteritas emtiones extendere,  
easq; perfectas retractare propter frequentissimum, ut videtur,  
illius contractus in commerciis humanis usum. vid. Wesenb *parat.*  
*de emt. vendit. n. 1.* CAPUT



102  
18  
13

CAPUT III.

Quando Contractum in SCRIPTIS FIERI placuisse, aut  
transactionem in INSTRUMENTO RECI-  
PI CONVENISSE dicendum sit?

§. I.

Controversiam de intellectu hujus L. quotidianam in iudiclis, &  
multarum litium matrem esse, docet Brunnemannus b.m. in  
comment. suo in Cod. Just. ad hanc L. optatq; adeo, ut Principes has  
vel similes lites per constitutiones locales definirent: quia definiti-  
one tamen, nostra quidem sententia, quoad hanc L. opus non est,  
cum sensus enim satis perspicuus sit, modo intentionem legisla-  
toris semper ob oculos habeamus.

§. 2. Cum autem in ceteris circa hujus textus explicationem  
facile conveniant interpretes, de eo solum controvertunt, quid sit  
contractum in in scriptis fieri, & quando partibus, id ut fiat, pla-  
cuisse, aut inter illas transactionem in instrumento recipi conve-  
nisse dicendum sit.

§. 3. Atque hic duæ in universum interpretum sectæ sunt, qua-  
rum altera Joannem sequitur, altera Placentinum & Azonem.

§. 4. Horum verò sententiam ita proponit *Gloss. hic* ad verb.  
*in scriptis*. qf. Joannes senserit, in scriptis fieri contractum tunc  
placuisse videri, quando id egere contrahentes, ut non aliter valeat  
contractus, quam scriptura facta. Placentinus verò & Azo, quan-  
do in contractu vel ante convenere, ut scriptura fiat, gerentes in a-  
nimo, non prius contrahere, quam scribatur. Ita *Glossa*.

§. 5. Joannis sententia hodie communiter deseritur, recteq;  
scribit Aldobrandinus ad *pr. l. de emt. vendit.* quod illud non vide-  
rit in usu Tutari eam quidem recens conatus est laudatus Brun-  
nem. *d. l.* dum legem de his terminis loqui putat, si partes expresse  
asserant, se velle in scriptis contrahere, vel se non aliter contrahe-  
re velle, quam si conficiatur instrumentum. Sed sententia Joan-  
nis sustineri nequit. Si enim tunc demum partibus contractum  
in scriptis fieri placuisse dicendum est, quando expresse id egere,  
ut non aliter valeat contractus, quam scriptura facta, quod rarissi-  
me accidere ex Aldobrandino notavimus, quis credat, Imperato-  
rem rarissimum illum casum generali constitutione decidere vo-  
luisse; cum Leges de iis, quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον i. e. ut plurimum fiunt,

F 2

con-

120



constituendæ sint *L. jura constitui 3 ff. de Legib. & c.* Imò quid o-  
pus fuisset nova lege, cum conventio contrahentium sufficere po-  
tuerit? Neque enim quisquam credo, sibi persuaderi patietur an-  
te nostram *L. jus sic redditum* fuisse, ut in casu, quo emtor & ven-  
ditor invicem convenerant, ne contractus valeret, antequam instru-  
mentum conficiatur & vel scheda à partibus haud subscripta, vel  
mundum Tabellionis nondum absolutum seu completum produ-  
cebatur, emtor ad tradendum aut venditor ad pretium numeran-  
dum fuerint adacti: quod tamen fieri oportuisset, si illa nostræ *L.*  
juxta Joannē sententia est, ut tunc partes in scriptis contrahere vo-  
luisse videantur, quando dixere, se nolle aliter contractum valere,  
quam confecta scripturâ. Et quæ quæso prisca illa jura sunt, quæ  
in tali casu emtorem ad tradendum, venditorem ad pretium nu-  
merandum adigunt? Alia sane ostendi non possunt, quam quæ  
solo consensu emtionem venditionem perfici dicunt, ut sunt *pr. l.*  
*de emt. vendit. l. inter patrem 2 §. 1. ff. eod. l. 1. §. item emtio 2. ff. de rer.*  
*perm. cum similibus: ex quibus nos vericulum, exceptis emtiona-*  
*libus & c. nostræ Legis supra interpretati fuimus. Itaque senten-*  
*tia Johannis merito deseritur.*

§. 6. Sed nec altera à D. Brunnemanno facta Legis nostræ restri-  
ctio, quasi tunc demum partes in scriptis contrahere voluisse cen-  
seri debeant, si id expresse dixerint, admitti potest. Cur non e-  
nim in scriptis contrahere voluisse dicendi sint, de quorum volun-  
tate aliunde quam per loquelam constat? Eadem sane vis in jure  
nostro taciti, quæ expressi, modo de voluntate constat *L. Labeo ait*  
*2. l. item quia 4. ff. de pact. l. cum quid 3. ff. de reb. credit.* Rectius  
itaque illi, qui Placentini sententiam sequuntur, tacitam etiam vo-  
luntatem admittunt, & exemplum ponunt, si paulo an-  
te contractum, aut in actu in ipso contrahendi partes petierint,  
ut calamus afferretur, aut ut accerseretur Notarius conficiendi in-  
strumenti gratia. Tunc enim rem in scriptis geri voluisse videri.  
*Anton. Fab. in Cod. tit. de fide instrum. desin. 14. Vinn. Commentar. ad*  
*Instit. tit. de emt. & vendit. n. 10.*

§. 7. Neque tamen nos propterea alteri sententiæ, quæ à Glossa,  
ut diximus, Placentino & Azoni, hodie vero Paulo de Castro, qui  
eam pluribus executus est *Commentar. in Cod. ad nostr. l. (vid.*  
*Hartm. Pistor. Lib. 3. qu. 27. n. 22, & ad illum locum Filius Simca Ul-*  
*ricus*



104  
18  
13  
ficus lit. b.) ferè tribuitur, calculum nostrum in eo addere possu-  
mus, quod in contrahentibus animum exigit non prius contra-  
hendi, quam scriptura fuerit confecta. Ea enim ratione accepta  
ista sententia iisdem premitur difficultatibus, quibus Joannis pre-  
mi §. ostendimus. Quid enim Lege hac opus fuisset, in casu, quo  
constat contrahentes eo animo fuisse, ut non prius obligati essent,  
quam e.g. emtio venditio in scripturam fuerit redacta: quando-  
quidem tali casu res legis auxilio non indiguisset, sed jure commu-  
ni partes tutæ fuissent, cum emti venditi actio b. f. sit, in qua alter  
alteri, quod bonum & æquum sit, cumprimis quod inter  
ipsum, s. tacitè s. expressè, convenerit, præstare habeat *Lex emto*  
*ii. §. i ff. de emt. & vend. §. in bona fidei 30. l. de act.*

§. 8. Nempe mericulosi nostri, dum à simplicitate juris natura-  
lis, quod promissorum fidem exigit, omnemq; propositi mutatio-  
nem averfatur, ceu in præmissis diximus recedere verentur, remq;  
omnem ad eam reducere satagunt, non animadvertunt, se eadem  
opera saluberrimam hanc Imperatoris Justiniani constitutionem  
& cum utilitate publica conjunctam simul enervare & tantum  
non penitus evertere.

§. 9. Itaque nos missis factis interpretibus Latinis in univer-  
sum omnibus, Græcos hæc in re sequimur, qui neque illam partium  
intentionem, nolle se aliter contrahere, quam si conficiatur in-  
strumentum, neque expressam, velle se in scriptis contrahere, affer-  
tionem, sed solum animum, ut contractus scribatur, exigunt. Vi-  
deantur interpretes Basilic. ad lib. 22. tit. 1. constit. 76. Quo posito ex  
Legis hujus beneficio non ex intentione sua habent, ut donec scri-  
ptura fuerit absoluta, pœnitere possint; sive animum, haud se  
prius, quam confecta fuerit, obligandi habuerint. sive non.

§. 10. Neque huic interpretationi obstat, quod levitati & incon-  
stantiæ fores pandere videtur, dum ei, qui quid promisit, interea,  
dum in mundum redigitur contractus, aut instrumentum à Nota-  
rio completur, sententiam mutare permittit. Huic enim dubio  
occurrere in cap. 1. §. 12. & 14. occupavimus, & diximus, id ita permit-  
ti à jure civili, non vero probari, si quis, qui re satis deliberata quid  
promisit, Legis hujus beneficio uti velit: quo contra ea non adeò  
iniquè utetur, qui forte ab adversa parte inductus præcipitantes  
quid promisit, quod rebus suis damnosum fore postea animad-  
vertit.

§. 1



120



§. II. Ille casus, quo partes mentione scripturæ nec facta, nec tacitè comprehensa primum conveniunt ac perfecte contrahunt mox ut memoriæ aut probationis gratia conventio in scripturam redigatur, aut instrumentum desuper conficiatur, invicem consentiunt ut excipiat, nec Legi nostræ adaptetur, facile concesserim: quandoquidem animus ille, ut contractus scribatur, quem solum exigimus, ab initio adsit oportet: quoniam alias contractum in scriptis fieri placuisse dici non potest.

CAPUT IV.  
USUS MODERNUS.

§. I.

Paulus de Castro, Castrensis vulgo dictus, *Commentar. in Cod. ad h. L. n. 4.* scribit, Speculatorem in *tit. de Locato §. nunc verò aliqua vers. quinto* videri dicere, quod forma hujus L. hodie de consuetudine non servetur in contractibus, qui celebrantur in scriptis. Sed ego tale quid in Speculatore reperire non potui.

§ 2. Brunnemannus verò ad h. L. Jus Canonicum, quo ex pacto nudo, atque contractu innominato actio detur, opponit: adeoquæ licet poneretur, ait, jure civili nullam oriri actionem, jure Can. tamen oriretur obligatio & imploratio officii Judicis.

§ 3. Quamvis autem dici possit, id quod Dn. Brunnem. sumit, jure Canon. ex pacto nudo, atque contractu innominato actionem dari, ab omnibus non concedi. Sunt enim qui extra terras Pontificias & in Curiis Imperialibus, haud juxta jus Can. sed juxta Civile pronuntiandum esse asserunt. *Wesenbec paratit. ad tit. ff. de pact. n. 9.* Alii prorsus tale quid jure Can. constitutum esse negant. *Strauch. Dissert. 12. apb. 10.* Et sane in casu initæ conventionis de permutandis ædibus, qui procul dubio ad contractus innominatos, articulum do' ut des pertinet, noluisse Dn. Scabinos Lipsiens. alteram ad partem impletionem contractus & traditionem ædium suarum compellere præjudicium eorundem ap. Dn. Carpzo *part. 2. constit. 33. defn. 23.* probat. Attamen pro Brunnemanno facit, quod iidem, quos diximus, Dd. qui jus Can. hac in parte non admittunt, cæteri quæ omnes fateantur, moribus receptum esse, ut ex nudo pacto actio detur.

§ 4. Verum enim vero neque Jus Canon. neque mores isti hodierni, quibus ex nudo pacto actio datur, eò extendendi sunt, ut pro-



102  
8  
13  
propterea omnia beneficia jure civili paciscentibus quibusdam tributa (quale hoc est, quod ii, qui dum contrahunt, contractum scribi volunt, antequam scriptura perficiatur, poenitere possunt:) abrogata dicamus, nisi simul dicere velimus, mulierem, quæ pro alio intercessit, hodiernis moribus S. C. T. Vellejani; filium familias qui pecuniam mutuo acceptam reddere promisit. S. C. T. Macedoniani beneficio uti non posse, cujus contrarium quotidiana praxis docet. Sed id tantum introducere s. Jus Can. s. mores, ut, cum jure Rom. pactum, quod ex quatuor illis pactorum generibus, quæ cap. i. §. ii. enarravimus, non esset, ad actionem non proficeret, hodie in genere ex omni pacto actio detur; reliquis specialibus Juris Romani circa pacta scitis in vigore suo manere permittis: ut adeo cum jure Can. itemque moribus hodiernis Legis nostræ dispositio bene stare possit.

§. 5. Quid ergo dicendum? annon in viridi L. nostram observantia esse asseremus? cum primis, cum nec Simon à Grœnewegen, qui de LL. abrogatis scripsit, nec alii, quantum sciam, in censum illarum L. nostram referant: quod argumento est, eam à Dd. pro tali haberi, quæ usu etiamnum servetur.

§. 6. Nihilominus persuasum mihi habeo, Speculatoris, quam Th. I. hujus capituli retulimus, si modo ejus fuit, sententiam, nempe formam L. hujus hodie non observari, non omni ex parte falsam esse. Cum enim Dd. omnes, ut cap. præced. vidimus, eam sic interpretentur, quod loquatur de casu, quo partes s. expresse s. tacite id egerit, ut non aliter valeat contractus, quam scriptura perfecta, vel saltem dixere, se in scriptis contrahere velle; sequitur, eam à nemine in genuino sensu, qui est, quod agat de casu, quo partes, dum contraxerunt, eo animo fuere, ut contractus scribatur, acceptam, adeoque nec observatam fuisse. Atque hinc quoties à parte aliqua scheda conscripta alteri, aut utriusque partis literas habens (punctionem vocant Pragmatici nostri:) producta fuit, in Dicasteriis nostris à nemine super validitate ejus dubitatum, sed adversarium ut contractum adimpleret, contra expressam L. nostræ sententiam condemnatum fuisse, ipse memini.

§. 7. Quæ cum ita sint, non amplius cum sæpius laudato Brunnemanno optamus, ut Principes nostri litem de sensu L. hujus saluberrimæ, qui nostræ sententia satis perspicuus est, per constitutionem localem definiant: sed saltem, eam in genuino & nativo





tivo suo sensu per omnia observari, ut in territoriis suis præcipiant. &c.

S. D. G.

## PRÆSES

Ad

CL. DN. RESPONDENTEM,  
JENENSEM.

**R**Ogasti me, BRENDELI amicissime, ut experimentum hocce tuum Epistolio ornarem. Ego vero, qui pro singulari in Te affectu non facile quicquam denegare Tibi ausim, varia cum animo meo, unde argumentum Epistolæ peterem, versavi. Laudaremne materiam Disputationis (quod ferè facere solent qui Epistolas ad Respondentes scribunt:) frequentem pariter ac difficilem? de qua BRUNNEMANNUS Doctor olim meus ita: quia hæc controversia quotidiana est in judiciis, & multarum litium mater, optandum esset, ut Principes has & similes lites per Constitutiones locales defini- rent: sed illam nos rem Lectorum non malevolorum iudicio per- mittere malumus. An diligentiam Tuam in studiis & sedulita- tem? sed hanc pallida facies Tua satis per se loquitur. Num as- siduitatem in sectando Doctores, illisq; aures præbendo? Et hanc quoque ipsa pulpita nostra testantur. Denique num nativas dotes, facundiam oris & accuratam Jus tractandi rationem? testimo- nium perhiberent, si loqui possent, Auditoria nostra, quoties Te in subselliis Opponentium excepere. Quare superest, ut Academia Tue patria, quæ me quoque olim fovit atque ornavit, de erudito fœtu gratuletur, illosq; qui Te nobis commendârunt, Academia Vestra PATRES, considerare iubeam, talem Te futurum qualem & sperant Ipsi, & Boni omnes vovemus. Fiat! B.V.

Dab. è Museo a. d. 13. Octob.  
cl. lxxii.



1026  
8  
13  
*Prælectionum Viadrinarum*

De

**Cautelis contractuum necessariis**  
**D. SAMUELIS STRYKII,**

Sereniff. & Potentiff. Elect. Brandenb. Consilarii  
& Facult. Jur. in Academ. Viadr. Ordinarii,

SECT. II. CAP. IIX.

**De Emptione & venditione,**

§. I.

**M**ateria hæc uti diffusa, & in praxi frequens, ita varia  
quoque cautelæ adinventæ, quæ instrumento vendi-  
tionis inseri solent. Verum cum multa ex generali-  
bus illis, quas in *sect. I.* adduximus, desumi possint, nos hic  
tantum de specialibus in jure probatis solliciti erimus: Ubi  
in antecessum monendum, quamvis solo consensu perficia-  
tur venditio, in Praxi tamen receptum, ut vix majoris mo-  
menti res vendi soleat, nisi confecto desuper instrumento.  
Quo casu si quis ante completum instrumentum vor *Bol-  
lenziehung des Rauffbrieffes* obligari nolit, non sufficit,  
quod conventum sit de instrumento conficiendo, sed requi-  
ritur, ut hoc expressum adjiciatur pactum, non perfectum  
prius debere esse contractum, nisi postquam instrumentum  
plene confectum per *L. Contractus 17. C. de fid. instrum.* alio-  
qui in dubio probationis causa tantum requisita videtur  
scriptura Dn. Brunnem. *Comm. Cod. ad d. L. 17.*

*Emptiones  
variis caute-  
lis obnoxia.*

*Cautela. si in  
scriptis con-  
trahendum.*

§. II. Idem quoque esse puto, si modo expresserint Contra-  
hentes, se non aliter, quam in scriptis contrahere velle; Inde  
enim apparet facilè, se nolle simplici Consensu constringi,  
nisi

*Conventio  
se velle in  
scriptis con-  
trahere.*

G



120



An illa con-  
ventio sit  
necessaria?

Basilicorum  
sententia.

Animus in  
scriptis con-  
trahendi an  
tacitus suffi-  
ciat?

nisi scriptura desuper fuerit confecta, ob verba perspicua  
*d. L. 17. C. de fid. instrum. ibi: quas tamen in scriptis fieri placuit*  
& postea: *quas in instrumento recipi convenit.* Displicet illa  
Legis restrictio Nobiliss. DN. LYSERO Jcto *Wittebergensi*  
*Dissertat. de Contract. qui in scriptis fiunt, ubi cap. 3. §. 5. & 6.*  
sententiam *B. Brunnemanni* jam adductam impugnat, &  
nec pactum illud exigit, ne aliter subsistat contractus, quam  
accedente scriptura, nec hoc, ut convenerint expressè, se in  
scriptis velle contrahere, sed §. 8. contra interpretes Latinos  
in univ. omnes, uti verba ejus habent, solum animum  
sufficere ut contractus scribatur, asserit; provocans ad au-  
toritatem Interpretum Basilic. *Lib. 22. Tit. 1. Const. 76.* Ve-  
rùm quod pace Viri Consultissimi dixerim, nil quicquam ex  
Basilicis præsidii capit ejus sententia; In textu enim i-  
pso, de animo, ut contractus scribatur, nihil occurrit; In-  
ter interpretes illius textus est *Thalelaus* qui ad *D. Const. 76.*  
*Vol. 3. Basilic. p. m. 77.* expressè monet, tunc obtinere Consti-  
tutionem, *si placuerit in scriptis contractum fieri.* Occur-  
runt quidem *pag. 78. in med.* hæc verba: *si transigentes hoc*  
*animo fuerint, ut transactio instrumento reciperetur; sed*  
*mox subjicitur; & invicem convenerint qualiter transactio*  
*concipi deberet; ut hinc conventio per animum à Scholiaste*  
*Βασιλικῶν non excludatur; In Græco pro animo σπονδῆς po-*  
*nitur; unde verò de Contrahentium Scopo constabit, nisi*  
*verbis expresserint, cum vulgo notum, propositum in men-*  
*te retentum nihil operari, L. 7. C. de condict. ob caus. dat.*

III. Regeritur ad hoc, animum contrahentium inde  
colligi posse; si paulo ante contractum aut in actu ipso  
contrahendi partes petierint, ut Calamus afferretur, aut ut  
accerferetur Notarius instrumenti conficiendi gratia, quod  
tunc in scriptis voluerint contrahere, Ant. Faber *Cod. de Fid.*  
*in.*



instrum. def. 14. Verum enim verò, quod Consensu de re & pretio perficiatur substantia Contractus, certum est; Unde sequitur, pactum hoc, ne solo consensu perficiatur venditio, esse detrahens, quia aliquid substantiæ demit, dum contractum, qui revera perfectus, facit non perfectum. Si hoc, non præsumendum hunc esse contrahentium animum, quod vim obligandi, quæ naturaliter inest contractui, eidem detrahere voluerint, nisi hoc expresserint; Uti enim renunciationes jurium non præsumuntur, ita nec voluntas juri derogandi, nisi exprimat. Si regeratur; atqui ita nihil novi constitutum esse per *L. 17. C. de fid. instrum. cum & olim pacta adjici potuerint contractui bonæ fidei. Repono; nec opus esse, cum illa non sit ex novis Justiniani Constitutionibus; multa in Codice repetita, quæ jam antea in ff. constituta. Deinde & nova hic adsunt, scil. quod talis conventio expressa Lege confirmetur: Quod Scheda ab utraque parte scripta non sufficiat, nisi accesserit subscriptio, quæ tamen in holographo non necessaria, quales Schedas etiam olim obligasse, probat Confirmatio Imperatoris in præteritum facta per *d. L. 17. ibi, exceptis emptionalibus. Quod Notarii subscriptio non sufficiat, sed & partes subscribendo absolvere debeant, cum tamen id aliàs necessarium non sit. Retinenda ergò B. Dn. Brunnemanni sententia, ob clara verba d. L. 17. placuit: convenit:**

*Menda B. L. ita corriget.*

*C. 4. lin. 10. lege jubemur. C. 4. b. in fin. redderet, D. 2. lin. 15. producit. lin. 22. dele urn. lin. 27. occurrere. D. 3. lin. 1. donationum. lin. 14. lege solidorum. lin. 25. de donat. E. 1. b. lin. 21. Aldobrandinus. E. 3. lin. 14. instrumenten. lin. antepen. habeant. E. 3. b. lin. 32. ultimum. E. 4. lin. 5. pretio. lin. 12. emt. E. 4. b. lin. 13. obligatio. lin. 14. tabulam. F. 1. lin. 10. privato. F. 1. b. lin. 5. lege præstito. lin. 14. judicatam. lin. 17. minorem. F. 2. b. lin. 29. post, in actu, del. in. F. 3. lin. 25. lege interpretes. F. 3. b. lin. 30. pro ad partem: partem ad. Alia quaedam minuta, quæ in typis vel planè omiffa, vel præposterè posita sunt, cujusq; candori permittuntur.*





WILHELMUS LEISERUS,

JURR. DOCT. & in Academiâ Witteb. Antecessor,

S.

CHRISTIANO TRENTSCHIO,

Sal.

**D**um hoc, quod me rogasti, literarium presto officium, & Tui, & B. tui Parentis, & mei quoque ipsius causâ valde gaudeo. Et Tui quidem causâ gaudere me par est, quod indies majores in Te profectus; nunc etiam tantam studiorum fiduciam, ut Theses eximie controversas publicè defendere non dubites, animadverto. B. vero Parentis, Viri olim in Philosophiâ, cui se addixerat, accuratissimi, in vitâ civili integerrimi, & in Collegio Professorio mei amantissimi; quod filium unicum & cognominem in paternas virtutes, laudes ac honores etiam exurgere video. Tandem est, cur mei quoque causâ gaudeam. Nempe annus, ex quo me sectari cœpisti, nunc agitur quintus. Ego vero mentem rectam, ingenium solers, felix iudicium ac Philosophiæ præterea cognitionem, quam tanquam paternam hereditatem adieras, in Te deprehendisse mihi visus, bonam statim de Te spem concepì, eamque aliis quoque predicare datâ occasione non omisi. Quare impensè letor, Te spem illam me non fefellisse, nec predicationem Tui erga alios inanem fuisse, publico hocce specimine testaturum esse. De quo ipso plurimum tibi gratulor, simulque DEum precor, quod prioris Dissertationis Respondenti contigit, ut paulo post ad summa in Jurisprudencia nostra eniteretur, id Tibi quoque ut quantocyus evenire jubeat. B.V. Dab. è Muséo a. d. 12. Kal. Jul. 1686.

Florentissimo Juveni,

CHRISTIANO TRENTSCHIO,

Amico suo percharo,

publicè disputanti

C. S. SCHURZFLEISCHUS.

**P**er mihi sancta est juris Romani auctoritas, cujus ratio nunquam ab æquitate sejuncta est, & pulchrò quodam iudicis quæ apto dicendi genere continetur, nec solum mihi, sed etiâ sapien-



102  
8.  
13  
pientissimo cuique & maxime idoneo, & ipsis adeo cultissimis  
gentibus maiorem in modum probatur. De cuius dignitate Val-  
la ipse nihil dum detrabere potuit, nec quisquam ita frontem  
perfricuit, ut verba sententiasque gravissimas improbaret, mul-  
to minus despiceret, ac temere aversaretur. Malevolos, si con-  
vicia faciant, contemno, indoctos, si iudicium ferant, ne agno-  
sco quidem: tantum abest, ut ab instituto te avertant, ut quo-  
que te consilii rectioris conscientiam fretum magis confirmet.  
Nusquam invenias tale jus, quale illud est, quod Romanorum  
monumentis commendatum est, nunquam, dico, invenias, quod  
perinde controversias distrabat, litesque in foro & vita gravissi-  
mas componat. Non potuit, crede, tutius presidium concedi  
mortalibus, quam si lege, aut legitimo iudicio agant, & argu-  
mentis ex re ipsa causaque ductis adversarios vincant. Qui  
contra sentiunt, omnes equidem infra tuam iram sunt, sed cer-  
te videant, ne existimationis periculum faciant, si abs te in-  
iuris vocentur. Etenim multa ac firma huius doctrina subsidia  
habes, quibus & tuendam suscipias hanc causam, & resistas  
oppugnantibus, & exemplo etiam tuo refellas secus existiman-  
tes. Locus defendendi jam tibi datus est, quem ornandum pu-  
tes, atque ad maiorem indies laudem contendas, argumen-  
tumque locuples, & ornamento plenum edisseras, ac docte sapien-  
terque perquiras, atque illud imprimis efficias, ut omnes in poste-  
rum haud obscure intelligant, cuiusmodi sint sigillatim ista pa-  
cta conventa, quae nominibus sunt, literisque consignantur. Dif-  
fert, neque id ignoras, etas jurisprudentiae Justiniani recentior  
a veteri illa, & faciem subinde mutat; vestigia tamen aliqua  
relinquit, quibus Sulpitius, Scævola Tulliusque noster in veram &  
expressa imagine sua noscantur. Vale, & ut soles, cum aditu  
congressusque eruditorum, tum meo pariter sermone suffragioque  
dignum te paterna laudis heredem praesta. Kalend. Quinctil.  
13c lxxvi.

Clariss.



CLARISSIME DN. RESPONDENS,  
Amice Perqvàm honorande,

**Q**uanqvàm in luctu & squalore versantibus verba facere difficile sit: meum tamen esse duxi tibi conatum tuum ex animo gratulari. Non satis habes multa & præclaræ indolis & industriæ & prudentiæ juris hactenus pignora edidisse: Sed & in præsentem nitidum & non insubtile argumentum excutiendum tibi sumis. Boni militis est sæpius descendere in aciem & pulverem signaq; conferre. Ducem nactus es egregium: cujus arma auspiciq; secutus, sine dubio rem benè geres. Lacesse amplius fortunam, donec mitioribus vicibus in partes tuas transeat. Est illi familiaris hic minus, ut quos charissimos subinde habet, inter primordia fastidio suo fatiget. Nihil infelicius eo qui nunquam fuit infelix. Habet aliquid divini & augusti virtus, quod & ipsa fata trahere & movere potest. A quibus quoq; abdicata & deserta sibi ipsi solatio & autoramento est. Obligat me tam communis patriæ, quam amicitia, quæ tibi cum fratre meo beato & mecum intercescit, sacramentum, ut optem tibi, hæ, quas agitas, & omnes in posterum res benè feliciterq; eveniant. Vale.

*Dabam Wittenbergæ  
M DC LXXXVI.  
Die XIII. Maji mæ-  
stus ex funere domestico.*

Nicol. Andr. Pompejus,  
Gymn. Regii Stet. P.P.



X 26159/14

1007











N. J. C.  
DE

# RACTI N SCRIPTIS

INT,  
17. C. de fide instrum.  
TIO ALTERA,  
ESIDE

# LHELMO ERO,

Curia Electoralis,  
Facultatis Juridicae & Scabi-  
simo, meritissimoq; &c.

& PRÆCEPTORE suo o-  
vantia cultu eternum  
quendo,  
lum proposita  
M DC XXCVI.

TRENTSCHIO,  
nb. Sax.  
NBERGÆ,  
ANNES WILCKIUS.

34  
12  
13  
1686  
10<sup>th</sup>

171

1201

